This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Gs 32. 165. 20

Harvard College
Library

FROM THE FUND GIVEN BY
Stephen Salisbury
Class of 1817
OF WORCESTER, MASSACHUSETTS
For Greek and Latin Literature

SOPHOCLEM

Æqualium suorum mores in tragœdiis sæpius imitatum esse contenditur.

THESIM LATINAM

F. CASTETS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

proponebat

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

NEMAUSI

APUD CLAVEL-BALLIVET ET Sⁿᵉ, TYPOGRAPHOS

VIA DICTA PRADIER, 12

M DCCC LXXII.

DE TRAGŒDIIS SOPHOCLIS

SOPHOCLEM

Æqualium suorum mores in tragœdiis sæpius imitatum esse contenditur.

THESIM LATINAM

F. CASTETS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

proponebat

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

NEMAUSI

APUD CLAVEL-BALLIVET ET Sm, TYPOGRAPHOS

VIA DICTA PRADIER, 12

M DCCC LXXII.

Gs 32. 165. 20



OPTIMO ERUDITISSIMOQUE MAGISTRO

JULIO GIRARD

GRATI ANIMI PIGNUS

F. CASTETS.

INDEX RERUM

Pagina.

PROŒMIUM 9

I

De ætatis heroicæ moribus et institutis secundum Homerum, deque iis quæ communia Græciæ recentiori cum antiquis temporibus videntur fuisse 11

II

De priorum poetarum exemplis quæ Sophoclem ad liberiorem vetustatis imitationem inducerent 21

III

De iis quæ in Sophoclea fabula recentioris Græciæ mores et usus declarant 27

IV

De iis quæ in Sophoclea fabula civem Atheniensem declarant .. 41

CONCLUSIO 59

Nota. — Sophoclis recensione usi sumus quam G. Dindorfius apud Didotum Lutetiæ, anno 1842, edidit. Brunckii translationem latinam quam laudamus, reformavit Benlœw.

PROŒMIUM

Qui Cornelium et Racinium graviter reprehendunt quod illi, non morum ac temporum veritatem secuti, nimium in fabulis ætatis suæ mores imitati sint, quanquam non omnino falsa specie decipiuntur neque malignitate plane occæcantur, tamen modum in reprehensionibus parum tenuisse mihi videntur. Ergo apud homines non quidem plane rudes sed summa rerum libare assuetos, opinio illa divulgata est ac latius manavit talem veritatis negligentiam aut inscitiam proprium nostræ tragœdiæ vitium esse, quo veteres aut externæ fabulæ minime laborarent. Non absurdum igitur erit, partes veritatis tuentem, scrutari locum adhuc parum exploratum, neque inutile videbitur quæstionem ponere an et in præclaro illo Sophocle qui et Atheniensium et recentiorum communi assensu inter tragœdiarum scriptores principatum obtinet, id quod multi vitium, nos artis necessitatem putamus, inscia æqualium imitatio, vere deprehendi possit.

Sophoclem eligi placuit apud quem ea est judicii sinceritas, ea mentis humanæ scientia et artis prudentia, ut incorrupto in exemplo quæstio careat alienis a proposito disceptationibus remque unam possimus circumscripta et simplice in materia bene enucleare.

Poetæ qui rem antiquam veteresque personas in scenam inducit, non una difficultas expedienda est, quum vetustatis satis veram effigiem velit exprimere et audientium judicio ac voluptati morem gerere; ad hoc ipse suorum æqualium sit moribus imbutus,

ingenii autem peculiari naturæ ac suis ipsius volens nolens studiis indulgere debeat. Facilior vero materia minusque incommodi est ei qui res, tempore licet remotissimas, suæ gentis aggreditur, ubi non modo omni annalium copia plerumque abundet, sed et consanguinitate fretus veritati antiquæ, non repugnantibus æqualibus ipsiusque indole assentiente, inservire queat. Vana autem specie luditur et prorsus tragœdiæ conditionem nescit si quis morum veritatem in rebus longo intervallo disjunctis a populari poeta sine ullo præsentis colore putat servatum iri. Magna enim vis est æqualitatis quæ vetat quemquam ita recedere a consuetudine vitæ et disciplinas, quibus a pueritia informatus est, ita oblivisci ut vetustatis imago, memoriæ et cogitationis ope reparata, ipsi ante oculos integra sinceraque veritate appareat. Non ægre poeta priscorum nomina virorum situque obsita vocabula eruet, obsoletam supellectilem histrionibus induet; haud temere antiqua ædificia aut illustria loca magno redemptor sumptu in scena imitabitur grataque novitate alliciet spectatorem: quid hæc omnia veritati prosunt? — Possumus res Medii ævi in antiquis carminibus absconditas evolvere: quis poeta nunc inde materiam sibi sumat, nisi multis omissis, pluribus mutatis ad nostræ ætatis judicium accommodatam? Quodcumque longius a præsenti consuetudine discrepat, falsa sui imagine et ingenia poetarum et audientium animos movet. Aliæ enim sunt historici partes atque tragœdi, quorum unus rerum seriem temporumque mores et instituta explicare, alter movendis affectibus studere debet.

Hæc omnia, ni falso opinamur, locuples testis Sophocles comprobabit, qui natus Athenis res Græcas ad æqualium aures et voluptatem sæpius immutavit, nedum Cornelio Raciniove licuerit ætatem suam aspernari frigidaque vetustatis imitatione audientium fastidia captare.

I

De ætatis heroicæ institutis secundum Homerum, deque iis quæ communia Græciæ recentiori cum antiquis temporibus videntur fuisse.

Quo facilius dispicere possimus quatenus Sophocles in tragœdiis temporum veritatem secutus sit, Græcæ prius antiquitatis imaginem summis lineamentis adumbrabimus; quæretur etiam num vestigia vetustatis illius non pauca usque superfuerint in moribus quæ et in poetarum operibus ex ipsa rerum necessitate potius quam de industria conservarentur.

Ætatis heroicæ unde Sophocles fabularum materiem assumere solebat, certior omnis cognitio ab Homero proficiscitur qui in Iliade et in Odyssea non prælia tantum aut casus admirabiles, sed et instituta populorum moresque descripsit (1). Videmus omnes Græciæ gentes per illam antiquitatem regio fuisse imperio subjectas neque aristocratiam usquam aut democratiam viguisse.

Quanquam reges jam Homerica ætate dignitate sacerdotali carent, cultusque deorum et universa religionis cura penes privatos homines est, tamen apud eos quædam sanctioris conditionis vestigia remanserunt. Dicuntur ubique deorum nati vel alumni (διογενεῖς, διοτρεφέες βασιλῆες), quæ nomina non reverentiæ causa aut prisca ex consuetudine ponuntur, quum plurimi cognatione cum diis conjuncti esse crederentur. Nemo nescit

(1) V. Schœmanni *Antiquitates juris publici Græcorum*, p. 55 sq. et Grote, *Hist. græc.*, II, 6, vers. Gallicæ, quam *de Sadous* edidit.

Achillem a Thetide genitum, Æneam a Venere. Ergo nil mirum deos sæpissime Olympo delapsos inter consanguineos adesse et suæ stirpi opem afferre; unde fit ut duplex in carminibus Homericis rerum series evolvatur, dum quidquid in terris et apud superos geratur poeta refert. Neque postea apud heroicorum carminum scriptores discidium terræ cœlique factum esse reperimus, qui, exemplaria Homerica versare et adorare assueti, libertatem satis aptam recentioribus disciplinis usurpare non ausi sunt.

Proxima regiæ majestati atque imperii particeps nobilitas (ἄριστοι, ἀριστῆες) fuit, quæ a primis illis initiis rerum administrationi interesse assuefacta, postea regium omne imperium penitus sustulit abolevitque. Hujus principes dicti γέροντες, quæ appellatio ad dignitatem, non ad ætatem pertinet, quum inter γέροντας Ajaces, Menelaus, Diomedes, Ulysses nominentur, qui certe non senioribus annumerandi sunt obsidionis Trojæ temporibus. His magna in republica gerenda pars, quum nulla alicujus momenti res iis inconsultis decerni soleret. Eorum auctoritas suppetebat regibus in consilio, quod consilium βουλὴ γερόντων, ipsi βουληφόροι dicuntur.

Exempla ex Iliade deprompsimus quia clariora, quanquam necnon in Odyssea plurima invenies: satis erit admonere eamdem agendi rationem inter Agamemnonem ceterosque exercitus duces intercedere quæ in singulis civitatibus inter regem et primores in usu erat.

Sæpius reges dicuntur pastores hominum, dulce nomen simplicitatemque antiquitatis redolens, re autem aptissimum, quum non multum a gregis conditione plebs abesset. Legimus Agamemnonem exercitum in concionem convocasse et fallaci oratione quæ communis de bello sententia esset quæsivisse; Ulyssem vero, quum spe reditus milites ad naves evolassent, multitudinem retraxisse primores leniter mulcendo, ceteros graviter castigando. Quem locum Socrates ille quum sæpe florente democratia recitare solitus esset, Atheniensium dicitur in se invidiam commovisse (1) : nec mirum ea tempestate, quum leges benignæ æqua jura civibus omnibus sanxissent, tali patriciæ impotentiæ

(1) Xenoph., *Memor.* I, 58.

exemplo animos offensos fuisse. Ea autem quæ in eodem loco sequntur Atheniensibus credo non minus displicuisse. Thersites enim qui exercitus querelam satis diserte exprompsisset graviter avaritiæ Agamemnonis succensens, ab Ulysse male mulctatur, et sceptro verberatus sedet silens lacrymisque suffusus. Græci, quanquam ægritudine confecti, laudare Ulyssis factum, ridere miserum liberioremque oratorem. Certe is primus *demagogus* exstitit, cujus verisimile est audaciam Triginta virorum dominationem expertis valde probatam fuisse.

Hac in concione quæ apud Homerum ἀγορὰ dicitur, reges non plebeios opinionem suam rogabant, sed ipsi sententiam proferebant, cui omnes parere necesse erat.

Satis confirmatum nullam heroica ætate publicam libertatem fuisse: ad mores veniamus qui æquo discrimine a statu recentiore Græciæ, Athenarum in primis, secernuntur ac differunt.

Postquam jucunditatem illam carminum antiquorum et Musæ epicæ dulces illecebras contentio cogitationis repulit ac dissipavit, ante oculos tristior humanæ conditionis imago versatur, nec jam illis assentiri potes qui Homericam quamdam disciplinam, vitæ magistram, ut fuit postea philosophia, admirati sunt ac prædicavere. Imo vox horrenda ista « homo homini lupus » iis temporibus verissima videtur fuisse, quum fortunas aut corpora nulla fere communis legum societas defenderet ac tutaretur. Bene Thucydides de Græca vetustate judicavit ejus mores cum prædonum soluta licentia conferendo. Nulla inter vicinas gentes aut urbes firma pax colebatur. Quicumque rex apud finitimos opimam se prædam paraturum sperabat, nullo honesto nomine allato, nulla de causa aut specie bellum in incautos inopinantesque inferebat, ac, si res bene successisset, ferox prædam agebat rapiebatque, nec juris quidquam a se violatum esse arbitrabatur. Ita in Odyssea videmus sapientem illum Ulyssem quocumque appellit, terras vastare, pecora abducere ; Achillem in Iliade longe lateque prædari. Quid ! ipse dum Ulysses a patria abest, num proci dubitant domum regis, invito Telemacho et indignante Penelope, occupare, rerum omnium usu potiri ? Nec tamen quisquam juvenum audaciam reprehendit, aut injurias ægre ferenti Telemacho aliquam opem præbet. Dura nempe et agrestia ingenia Ulyssis filium deserunt, utpote quem ætate nondum adulta, fratribus et

propinquis carentem contemnant. Neve objiciatur minus exemplum Telemachi valere, quod forsan ejus pater ante discessum jam communi invidia conflagraret quæ post in filium absentis liberius erupisset. Sequuntur proci libidinem suam sordidamque avaritiam : nulli ultioni student. Sed patet quæ pueri patre orbati sors tum fuerit e miserabili querimonia quam de Astyanacte, Hectore interempto, Andromacha profundit. Illa Priami nurus jam sibi mente filium fingit omnibus bonis exutum, cibum fœde mendicantem, ab omnibus contemptum. Nec inter tot mala fit hostilis violentiæ aut sævitiæ mentio : hæc damna, hæc acerba convicia ab ipsis Trojanis filius Hectoris experietur, cui nil patris merita, nil nobile genus, nil nomen ipsum proderunt (1).

Cædes autem, quæ crebræ fiebant, non publice multabantur ; sed occisi hominis cognati et propinqui ultionem persequi solebant. Ergo parricida, si minus opibus polleret, aut ab hostibus nece afficiebatur, aut e patria in exilium aufugiebat, aut pretio vitam redimebat, quod pretium ποινὴ appellatum videtur fuisse. Inde apud Romanos etiam pendere ac solvere *pœnam*, vocis novo sensu, de omni coercitione ac supplicio dictum. Verum nusquam apud Homerum pietas illa apparet quæ cædes, perinde ac sacrilegia, piaculis luendas esse credebat. Nusquam ἡ κάθαρσις (2) aut αἱ νομιζόμεναι λύσεις (3) Homericorum heroum mentes sollicitant neque ulli videtur necesse τὸ ἄγος ἐλαύνειν (4).

Mores tamen isti sævi et immanes jura quædam ab ipsa natura recipiebant, quibus demptis nulla omnino esse humana societas posset: sanguinis vincula, amicitiarum, hospitiorum et pauca alia ejusdem generis officia. Ea profecto parte Ilias et Odyssea quæ rebus adeo differunt, veritate autem morum et communis ævi similitudine sunt pares, nos alliciunt delectantque.

Andromacha et Penelope exemplaria quædam apparent immortalia connubialis caritatis quæ nunquam eo pulchritudinis processisset, nisi una tantum uxor mariti penates coluisset. Nausicaa virginali castitate ornatur, nobis eo amabilior quod libertate fruitur nunc apud omnes occiduas gentes mulieri

(1) Il. XXII, 487 sq.
(2) Herodot., I, 35.
(3) Aristot., *Polit.*, II, 1, 14.
(4) Thucyd., I, 125-128.

concessa, qua vero feminæ Athenienses democratiæ temporibus carebant. Patria dignitas totum suum decus in Priamo profert, nec minus in Ulysse, etsi regi Trojano accedit majestas augustior, qui inter plurimos natos, in opulentis ædibus Asiaticorum regum speciem aliquam gerit. Parentes autem a liberis justa reverentia coluntur, Laertes ab Ulysse, Ulysses a Telemacho. Omnia autem officia quæcumque, ut ita dicam, circum Penates Laresque fiunt, Dirarum ope et præsenti semper numine sanciuntur servanturque. — De servis modo dicemus nonnullam sæpe inter eos ac dominos familiaritatem intercedere, quum moribus ac disciplinis, non raro etiam ortu pares, conditionis tantummodo fortuna distarent.

Ea autem jura quibus homines non eadem stirpe oriundi aut non eodem sub tecto viventes inter se conjunguntur, admodum pauca sunt. Amicitiæ coluntur et hospitia; audiuntur supplicum preces, si rite proferuntur; observatur jurisjurandi fides. Non Patrocli et Achillis mutuum amorem, aut quam benigne Ulysses apud ignotos excipiatur, memorabimus. Unum animadvertatur. Ea quæ hospitis aut supplicis reverentia usurpari solet, religione aliqua cum Laris domestici cultu contineri videtur. Ad focum Ulysses assidet postquam reginam Areten oravit, nec aliter Themistocles a rege Molossorum opem et præsidium multis post annis petit. Hospites autem, supplices et jurisjurandi fidem protegit Jupiter, modo rite invocatus fuerit, neque patitur se frustra testem adhiberi.

Addamus mores Græciæ antiquæ puros ac sinceros fuisse, ut etiam adhuc Homerus legendus atque ediscendus adolescentiæ in manus tradatur. Jam simplex illa vetustas veriores animorum affectus, dolores, amores, gaudia, iras præbet, magnitudine quadam heroica hominibus adjecta, ut recentioris ævi lectorem juventutis validissimæ specie læta captum detineat.

Religionis antiquæ ac vere hellenicæ simplicitas et clara serenitas nondum asiatica superstitione, pietate quæsitiore, sapientium placitis commixta erat. Inter deos Jupiter idem regnum quod Agamemno inter duces exercet; ab hominibus vix aliud quidquam ac modici cultus cærimonias exigit. Dii autem non communi et æqua cura, tanquam summi rectores, res humanas amplectuntur, sed iisdem ac mortales ipsi affectibus obnoxii amicitias ac

simultates fovent, ubique adsunt, cari herois causam defendentes, suæque libidini indulgentes, potius quam ullam justitiæ legem sequentes. Solus Jupiter æquitatis memor interdum videtur esse, neque tamen Græcis jure Helenam repetentibus favet. Supra deos hominesque altior atque obscurior Fati potestas dominatur, cui Jupiter ipse veluti minister famulatur. Querens igitur summus ille deus effingitur quod Sarpedonem filium morti contra Fatum eripere non possit (1). Mysteria autem ignorat Homerus ut Orphica et arcanum sacrorum genus omne. Nec apud eum religio usquam mores emendare, et hominis animum ad expletam perfectamque virtutis formam consummare nititur; imo talis optimi perfectio qua gens humana divinæ dignitatis aliquo modo particeps evadit, Homerico ævo æque ac divinæ sanctitatis excellens integraque natura ignota fuit.

Res millies tractatas prorsusque pertritas ex integro exponere a proposito longe abhorruit : Hesiodum qui privatam vetustatis vitam depinxit, hic præterimus, quum recentior Homero nobis videatur ; sed locum suum habebit ubi de poetis per quos ab epicis carminibus ad tragœdiam quasi transitus efficitur, agendum erit. Ceterum, ubi res postulabit, quæ hic summatim amplexi sumus plenius explicabuntur, quo melius instituta inter Homerum ac Sophoclem comparatio illustretur atque confirmetur. Nunc vero aptum videtur ostendere quamdam Homerici ævi hereditatem usque permansisse, quam ex ipsa rerum necessitate potius quam de industria Sophocles in fabulis servavit.

Per diuturnum illud intervallum temporis quo ætas Periclis nomine dicta ab ætate Homerica dissidet, plurima in institutis Græcorum et moribus immutata sunt ; cujus rei causam ingenium Græcorum præcipuam exstitisse reor, novandarum rerum cupidum omnique industria instructum, non longam annorum seriem, quum totius Orientis populi a primis initiis easdem fere leges consuetudinesque ad præsentia tempora obtinuerint. Verum ut diversitatem deprehendimus manifestam inter veterem recentioremque statum Græciæ, ita non pauca vetustatis vestigia superfuisse reperimus, gentis propria signa quædam, quæ et in moribus et in scriptis servabantur. Nil mirum igitur melius

(1) Il. XVI, 431 sq.

Sophoclem in fabulis pristinam morum veritatem consecutum esse quam Cornelium Raciniumque Romanas res Græcasve tractantes: res nempe et personas ex parte, ut ita dicam, sui æquales in scenam inducebat.

Vix opus est dicere Græcam gentem ab Homero ad Demosthenis ætatem non externorum adjectione populorum auctam esse, raro alieno ex sanguine commixtam, sed antiqua ex stirpe sinceram puramque ad tantum incrementum adolevisse. Integer igitur remansit color quidam proprius gentis quem in omni opere græco facile agnoscimus. Jam vel in humaniore Periclis seculo non pauca exempla reperias antiquorum morum, feritatis in primis ac duritiæ. Non loquor de privatis inimicitiis quæ legibus coercebantur ac seditiosis modo temporibus in facinora erumpebant; sed Thucydidem legenti mihi sæpe occurrit urbium dissensionibus immanitate plenis vice quadam pensatam esse novam domesticæ consuetudinis lenitatem. Achilles Ulyssesque hostem ad genua provolutum spernunt trucidantque; nunc vero civitates a civitatibus, populi a populis ad internecionem cæduntur: odia æque infesta ardent, sed publicæ utilitatis nomen honestius præfertur. Quæ ab Cleone et Diodoto apud Athenienses, a Platæensibus et Thebanis apud Lacedæmonios, ab Atheniensibus legatis et Meliorum principibus in colloquio illo nobili dicta Thucydides refert aut fingit, bene declarant Græcos in bellis gerendis nullam fere justitiæ decorisque rationem habuisse, sed studio utilitatis aut præsenti libidini indulsisse licentius, tanquam domi molliora instituta et sapientium placita reliquissent, assumpta una cum armis antiqua feritate impotentiaque. Viri qui Græcas civitates administraverunt, si pauca ob eamdemque paucitatem clarissima nomina excipias, multa habent communia cum doloso illo Ulysse, neque tantum industria contendere, sed et fraude fallaciisque grassari solent. Ac nescio an Sophocles eo veriorem ad similitudinem perfidum ejusdem Ulyssis ingenium in Philoctete expresserit, quod ei talis vafritiæ malitiæque exempla apud æquales abunde suppeterent.

Verum alia multa eademque majora supererant quæ altius inspicienti apparent. Quod ad rei publicæ administrationem pertinet omnia immutata sunt, quum servitutem libertas, regnum civitas, regum voluntatem legum auctoritas exceperit. Jam vigent artes,

litteræque et chorus philosophorum sub Academiæ umbraculis disputat. Sed ea ipsa quæ in perfecta maturitate admiramur, antequam annorum ac rerum progressu adolevissent, tanquam germina sub Homericorum virorum rudi asperitate latuerant. Omitto equidem fabulam qua Theseus tanquam primus auctor democratiæ conditorque referebatur. At video jam apud Homerum heroem quemque sua nota insignitum, suæ voluntati solummodo parentem : video rationem in liberis animis imperium exercentem. Si vincitur libidinibus heros ille, utilitatis tamen voci non raro obtemperat : Agamemno Ulyssesque iram ponere aut coercere, si necessitas postulat, solent. Ut natura humanam libertatem non opprimit, ita nec superstitione devinciuntur animi. Ergo licet apud Homerum ubique Dii præsentes adsint, præcipua tamen persona herois est ; qui quidem ope Deorum utitur aut invidia lacessitur, semper propriam fortitudinem aut industriam adhibet, neque unquam eo morbo languescit quo gentes sub Oriente sitæ tabescunt, omnia in vita humana fati regi decretis credentes. Haud aliter postquam Græcia ad summam magnitudinem venerat, et societate civium res publicæ continebantur, non legum imperio morum libertas compressa, ingeniorum diversitas deleta est. Oratores, duces, jam poetæ ipsi aut philosophi gerunt habitum suum quisque : differunt inter se ut ulla ægre humana naturæ species excogitari possit cujus non aliquod exemplum apud Græcos invenias. Mercaturam agentes aut navigantes, causas orantes aut stipendia facientes, geometriæ philosophiæque dediti aut litteris, in omni genere vim ingenuam et liberam Græci recentiores exhibent, neque usquam impetu cæco animi sed cogitatione utuntur. Haud enim ingeniorum ubertate magnifica et admirabili Græci eminent, ratione vero et prudentia, quod homines bene sui compotes ostendit.

Oratio autem ipsa, animi et rationis interpres, quæ quasi telum mentes ipsas petit, non minus apud heroas illos quam Isocratis temporibus admirationis habet, et quæ de Nestore Homerus dicit comparari possunt cum iis laudibus quibus Periclis eloquentiam poetæ Attici efferunt. Loquacitas vero quædam et garrulitas in Homero non raro animadvertitur : nunquam in litteris Græcis deficiet.

Quamvis adventitiis opinionibus, poetarum commentis, philoso-

phorum doctrinis ipsaque diuturnitate perfectum esset uti homines ab antiqua religione deflexissent, iidem tamen fere dii colebantur quibus in propatulo officia cærimoniarum pendebantur, non multum a prisca consuetudine abhorrentia.

Divinarum quidem rerum cura, si bene inspicias, aucta potius quam imminuta videatur. Religio nempe ad mores corrigendos magis in dies pertinebat, unde etiam majorem apud plerosque auctoritatem sibi parabat.

Permanserat etiam incolume triste illud institutum servitus, quanquam conditio servorum apud Athenienses aliquanto quam alibi melior fuit.

Adde sermonem patrium, notissima heroum nomina factaque, jactatas cognationes optimatum cum antiquis regibus, loca ipsa ubi res agerentur vicina celebrataque, multa alia quæ gentiles, ut ita dicam, Græcas tragœdias facerent, nec infitias ibis Sophoclem non minus ex rerum natura et quadam necessitate quam diligentis imitationis cura vetustatis imaginem prima specie simillimam adumbravisse: sed eum, multa de sua ætate ad vetustatem transferendo, reor fabulas antiquas novis moribus et opinionibus sæpe commiscuisse; in quo sane admirabilis ars egregii poetæ apparet qui e naturis diversis ac dissimilibus corpus, ut ita dicam, apte cohærens vitamque et veritatem spirans formare potuerit.

II

De priorum poetarum exemplis quæ Sophoclem ad liberiorem vetustatis imitationem inducerent.

Hactenus veluti summa quædam heroicæ ætatis lineamenta descripsimus, Homeri monumenta evolventes, et veterem illum *Achivum* non penitus temporum vetustate obrutum esse ostendimus, imo ad Sophoclis ætatem, si non integrum, tamen satis notabilem in ipsa sæculi politioris humanitate superfuisse. Nunc videatur continuo quærendum esse an Sophocles consuetudines ac sensus ab ætate heroica prorsus abhorrentes in tragœdiis imitatus sit. Sed prius libuit attendere utrum poesis dum ab Homericis carminibus ad novo genera deflecteret, semper meram vetustatis ac sinceram imitationem cóluerit, an potius novis moribus se accommodaverit, ut noster quoque poeta ad libertatem aliquam de vetustate usurpandam aliorum exemplis induceretur. Proinde græcarum litterarum annales adeamus, et poetarum illustrium qui ante Sophoclem exstiterunt, investigemus opera. Inter priores ac veluti majores ita ponetur Sophocles, nec mirabitur quisquam nos veram rerum seriem explicare voluisse.

Atque adeo tria repetenda sunt quæ ab aliis jam demonstrata et confirmata vix nostræ disputationis egere videbuntur: epicam poesim a remotissimis temporibus brevi consenuisse: locum

excepisse lyricos qui vel præsentia vel suos ipsorum sensus affectusque solerent in carminibus tractare; lyricos poetas et in epicis rebus non raro versatos esse, unde ipsa tragœdia originem traxerit (1).

Vix equidem opus videtur dicere cyclica carmina quæ post Iliadem et Odysseam condita sunt, fuerit quidem ut audientium legentiumve animos narrationum jucunditate moverent, tamen populi totius tanquam universam vitam non complexa esse, qua sane præcipua laude Homerica carmina commendantur. Ad nova studia sese converterat mens Græcorum, novaque carminum genera, novis rebus accommodata, florebant. Lyrici tum exstiterunt poetæ qui præsentia plerumque tempora canebant. « Haud » diffiteor novos poetas antiquis fabulis abunde usuros esse, verum » eas ad rei præsentis commodum torquebunt, sive res inde magis » illustretur, sive inde quædam adulatio aut oppositio conficiatur, » quod plerumque consilium in carminibus Pindari dispicere » possumus, quanquam nobili et heroico quasi spiritu ea tota plena » sunt. Fabulosas narrationes etiam tunc solebant componere,.... » at si forma epica iis inerat, epicus deerat flatus: auctoris ingenium » ut audientium studium sensim in res quæ ante oculos erant » sese demiserant, ac libentius iis quæ præsenti experientia ipsi » noverant, detinebantur » (2).

Lyrici generis jam ab initio multa et varia opera edita sunt, in quibus tum moralis scientia, tum præsentia tempora, tum poetarum ipsorum sensus vel affectus novis numeris exprimebantur. At in omnibus mens humana in se moresque cogitationis acumen retorquet, tanquam sui tandem conscia rerum jam externarum curam agat minorem. Quam commutationem Hesiodus veluti auspicatus esse videtur in carmine gravitatis pleno, Operibus et Diebus. Is nempe, longe ab Homerico vate diversus, misera mortalium conditione præcipue movetur cujus vitia et mala emendari exoptat. Homines enim quorum gratia Hesiodus versus componit, ætate pejore nati sunt et maligna, inter quos poetæ versanti vita gravis molestaque est. Heroum laudes non sine admiratione celebrat, quos non ut Home-

(1) V. Patin, *Histoire générale de la tragédie grecque*, p. 2-11. Troisième édition.

(2) Grote, *Hist. græc.* III, p. 89, vers. Gallic.

rus in Orco sed sede in amœna versari credit. De æqualium ærumnis libentius queritur. Ægritudo, Homero ignota, in poesim invadit, atque una morum observatio descriptioque. Jam e sensibus affectibusque notandis jucunditatem carmina ducent suam, aut e rebus memorandis recentibus. Homericæ poesis ævum ut Hesiodus concludit, ita sapientium agmen princeps ducit, qui propior Soloni quam Homero, si mores respicias, merito videatur. Obiter dicamus primum de se Hesiodum in carminibus locutum esse, quod postea vulgo factum est (1).

At, licet rerum carminumque novus nascatur ordo, cyclus autem epicus pallidam tantum vetustatis effigiem referat (2), fabulas tamen antiquas sui juris ipsa lyrica carmina fecere. Stesichorum et Pindarum laudare satis erit, quorum prior, ut ex operum titulis apparet, in heroicis argumentis versatus plerumque est. Verum audiamus Quintilianum, qui de Stesichoro suum judicium ea, qua solet, prudentia his verbis protulit : « Stesichorum » quam sit ingenio validus, materiæ quoque ostendunt, maxima » bella et clarissimos canentem duces, et epici carminis onera » lyra sustinentem (3) ».

Ita societas quædam facta est epici carminis ac lyrici, unde dithyrambus, post tragœdia illa Æschyli grandior et canora exstitit. Ita quum jam mores amplissimum locum in poesi obtinere consuevissent, longinquitas autem ævi poetarum reverentiam in antiquitatem moveret, factum est ut tragœdia, non rerum gestarum copia (quod epicæ narrationis proprium est), sed affectibus moribusque observandis audientium gratiam quæreret, atque fabulas antiquas ad novarum opinionum novæque urbanitatis similitudinem sensim traduceret.

Recentioribus vero temporibus quibus tragœdia floruit, copia hominum doctorum qui philosophiam, historiam, alias artes scientiasque callebant, novisque disciplinis multitudo quoque erudita et vitæ industriæ liberiorisque consuetudine exculta, non iisdem sensibus atque credula antiquitatis ingenia res fabulosas

(1) Cf. Grote, *Hist. græc.* I, c. 2; V, c. 11; vers. Gallic.

(2) De cyclo epico v. Otfr. Muelleri *Hist. græc. litt.* I, c. 6, vers. Gallic. et Grote, op. laud. III, p. 3-12.

(3) Quintilian. X, 1. Cf. Grote, op. laud. V, p. 355; Muellerum, op. laud. II, p. 155-159; Mure, *History of Grecian literature* III, l. IV, c. 4.

veteresque religiones accipere poterant. Fabulæ illæ ut grata præteriti hereditas non sine pietate quadam habebantur : ipsis annalibus et religionibus gentium commixtæ pars quasi patriæ videbantur, nec eas qui aperte respueret nugas pueriles appellans apud Græcam civitatem unquam tutus ac securus egisset, nedum popularibus placeret. At labor fuit eruditis viris ac studium ut eas novis sensibus accommodarent, ne mitigatis moribus repugnarent neve arguto ingeniorum acumini odiosæ essent. Ergo Pindarum videmus, Æschyli æqualem, fabulas quasdam repudiare, alias immutare quod sint suis de diis sensibus parum consentaneæ. Nunc longe detestatur Pelopem unquam cæsum atque in mensa positum a patre esse ut cibus diis fieret (1). Nunc Ulyssis mores aspernatur eum ab Homero nimiis laudibus ornatum esse ratus (2). Verum ubi mortuorum conditionem depingit, maxime ab Homero abhorret. Animæ nempe, si Odysseam sequimur, omnes, nullo clarissimo heroe excepto, vitam vanam, somniis consimilem, in Erebo apud Hadem degunt, ubi, umbræ factæ, quæ in terris exercuere, non jam sui compotes, sine industria ac sine voluntate sua usque exercent. Pindarus contra confirmat bonis egregia virtutum præmia post mortem persolvi, malos vero meritis pœnis affici. Inter Homerum Pindarumque intercesserat magna opinionum de vita futura commutatio : multa enim nova attulisse Orphicæ religiones videntur quæ in mentibus hominum penitus insederant. (3).

Ut Homeri asperam simplicitatem Pindarus emendavit, ita Hesiodi de Prometheo fabulam Æschylus in inclyta tragœdia ad majorem dignitatem exegit mutando quædam, addendo alia. Nihil refert de victimarum inter Jovem hominesque partitione, nihil de Pandora : diligentius vero circa ignis furtum immoratur. Jam laudibus novis egregiisque Prometheum, generis humani magistrum ac defensorem exornat : tanquam inter iniquam dominationem et libertatem justitiamque certamen ante oculos ponit : ut Senecæ verbis utar de stoico loquentis, hic habemus *par Deo dignum, virum bonum cum mala fortuna compositum.* Talem magnitudinem animi et ingenii, illam grandem severamque

(1) Olymp. I, 30-55.
(2) Nem. VII, 20.
(3) V. Otfr. Muell. op. laud. II, c. 16.

constantiam nec Homerus nec Hesiodus norant (1). « Sublimis » et gravis et grandiloquus sæpe usque ad vitium » Quintiliano (2) videbatur Æschylus, cujus dicendi genus rhetori causidicum oratoremque informanti parum apta exempla præberet : Aristophani autem priscæ gravitatis patrono placet: ut uno verbo omnia complectar, antiquitatem majestate ignota antiquis, ex ingenio altissimo deprompta, donavit, quæ longe humanum modum superat.

Devenimus ad nostrum Sophoclem qui tragœdiam e cœlo in terras deduxit. Haud aliter Socrates philosophiam altius ac latius evagantem ad mores explorandos revocavit, ac Thucydides historicos docuit hominum consilia scrutari atque edisserere. Nec immerito Sophocles revera dixisse videatur quæ apud Aristotelem leguntur, Σοφοκλῆς ἔφη αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδης δὲ οἷοί εἰσι (3). Æquo enim intervallo inter Æschylum Euripidemque stetit, ut bene opponi potuerint ἡ Εὐριπίδου σοφία καὶ ἡ Σοφοκλέους λογιότης (4). A nimia unius magnitudine ita recesserat ut ab alterius humilitate satis distaret tragœdiæque suam integram dignitatem et gravitatem conservaret (5).

Ergo ut ipse Æschylus, si quædam in priscis fabulis parum tragicæ gravitati responderent, Sophocles etiam aut omittere aut emendare non dubitavit (6). Verum multo melius veram naturam tragœdiæ dispexit quæ in moribus observandis depingendisque contineretur, longe ab epicis narrationibus diversa quæ rerum

(1) V. Patin. *Tragiques grecs. Eschyle*, p. 250 sq. III^e éd. Grote, op. laud. I, p. 87-94. Cf. XII, p. 137. Add. Muell. op. laud. II, p. 430 sq.

(2) Quintilian. X, 1.

(3) Aristot. *Poetic.*, c. 46.

(4) Plutarch. *De gloria Atheniensi*, c. 5.

(5) De tribus tragicis præclare Patin, *Histoire générale de la tragédie grecque:* de Æschylo, p. 23-34; de Sophocle, p. 34-42; de Euripide, p. 43 sqq. Troisième édition. — Adi etiam Grote, op. laud. II, p. 105-114; cf. XII, p. 137-138, 152-153.

(6) Addemus semper usum permansisse Homericam feritatem ad mitiores mores redigendi, adeo ut qui versus criticis ut crudeliores displicerent, interdum delerentur. Aristarchus quidem, quum legeret Phœnicis facinus quod ab heroe ipso in Iliade refertur, quatuor versus sustulit gravitatem sua sententia poematis fœdantes, quos tamen Plutarchus servavit. V. Plutarch. *De audiendis poetis*, p. 95; et Schol. Venet. ad Iliad. IX, 453. — De Dolonia v. Grote, op. laud. III, p. 94, n. 2. — De Laïo et Œdipo v. ejusd. op. laud. I, p. 299-305, et infra c. III, passim.

gestarum ordinem tantum evolvere solerent. Cur tantopere legendo Œdipo Tyranno commovemur, quum miseri regis sortem jampridem notam habeamus? certamen nempe affectuum qui animos agitant personarum intuemur, spem, iram, ægritudinem quæ vicissim nascuntur ut res procedunt, avide contemplantes. Immoratur in moribus describendis poeta, qui inde sciat suum opus novitatem habiturum et gratiam audientium adepturum esse; ipse autem multo magis affectibus observandis quam rebus narrandis delectetur.

Ita a lyricorum carminum ortu ad florentis tragœdiæ tempora, ætas quæque in tractandis rebus antiquis tanquam præsente nota signavit poetarum opera. Ita Sophocles adductus est ut minus de rerum vetustatis imitatione laboraret, totusque effingendis vivide moribus affectibusque incumberet, felix quidem prudentia qui, quanquam ad præsentis ævi imitationem sic deducebatur, tamen heroum majestatem nusquam humilitate abjecta dedecoraverit. Summus enim poeta, ut æquales, reverentia pia vetustatem colebat, verum dum eam in scenam inducebat, priorum poetarum exemplo quasi invitatus novisque doctrinis auctus, artis denique tragicæ leges optime intelligens, neque epicam Homeri magnitudinem, neque lyricam Æschyli tragœdiam inconsulte secutus est; ergo necessitate quadam cogebatur, dum naturam re sibi cognitam morumque veritatem effingere cupiebat, circumferre oculos et præsentium temporum aliquam in operibus imaginem exprimere. — Si species vanas removeas, si personis demas heroica nomina, si epicas fabulas obliviscaris, si falsus nullus jam habitus veritati obtendatur, protinus appareat erudita, strenua, arguta Periclis ætas: quod quidem in sequentibus plurima exempla bene demonstrabunt.

III

De iis quæ in Sophoclea fabula recentioris Græciæ mores et usus declarant.

De iis nunc dicemus quæ ab Homericæ ætatis institutis et consuetudine prorsus aliena Sophocles ab æqualibus mutuatus est, duoque genera invenio, unum eorum quæ erant Atheniensibus cum cæteris Græcis communia, alterum eorum quæ propria gentis Atheniensis erant: pergo equidem ostendere poetam novos Græcorum sensus de civitate, de virtute, de honorandis mortuorum reliquiis, de piaculis, de diis secutum esse.

Homerica ætate populos invenimus, nusquam civitatem, id est, multitudinem juris communione sociatam : Agamemno non princeps civium dicitur, sed λαῶν ποιμήν, pastor virorum qui domi bellique ignobiles voluntate prudentiaque imperitantis domini reguntur. Nihil Argivi a Myrmidonibus aut ab ipsis Trojanis differunt : ubique enim deest illa societas juris quæ civitas est. Deest etiam illud civilis societatis vinculum, lex. Neque πόλις civitatis sensu, neque νόμος usquam in Homericis carminibus apparent : urbes invenimus et θέμιστας. At apud Sophoclem Thebæ, Athenæ non modo uti urbes ingenti multitudine frequentes laudantur : civitates sunt, civibus plenæ quorum jus utilitasve raro a regnantibus contemnitur aut negligitur.

Est in Œdipode Coloneo locus non mediocri spatio circumscriptus (v. 720-1098), ubi tragœdiæ personis alia persona accedit, civitas Atheniensis majestate ac legibus subnixa.

Appropinquante Creonte, Antigone viri audacis consilia refor-

midans præsidium terræ Atticæ exposcit, quod ipsi patrique hospitibus Theseus pollicitus est, cuique eo magis confidit quod modo chorus eximio carmine Atticam amplissime collaudavit : ergo exclamat :

O maximis laudibus celebrata terra, nunc te inclytam illam famam re comprobare decet (V. 720, sq).

Œdipus pari sollicitudine afficitur ; at spondet chorus patriæ suæ opem hospitibus non defore :

Quamvis enim senex sim, tamen hujus terræ non consenuit robur (V. 726, sq).

Adest Creon qui simulat se nullam injuriam meditari, civitatemque Atheniensem vereri :

Venio enim, non ut vi quidquam facturus, quandoquidem senex sum ; scio autem ad civitatem me venire præpotentem, si qua alia Græciæ (V. 732, sqq).

Missus est ipse ab civitate Thebana :

Non unius imperio, sed ab universis civibus jussus (V. 737, sq).

Verum nihil proficiunt preces minæque : certum est Œdipodi in Attica terra mori atque benignam gentem fatali sepulcro donare. Iratus Creon Ismenen jam auferri jussit ; nunc ipsam Antigonen e miseri complexu senis abripit. Vide in præclaro dialogo, licet non inter grammaticos de ordine colloquentium personarum conveniat, quoties mentio civitatis occurrat :

ŒDIP. — O terræ hujus principes !

. . . . . .

ŒDIP. VEL ANTIG. — O civitas !

. . . . . .

CREON VEL ŒDIP. Civitati autem vim inferes, si quid me lædes. (V. 831-837).

Tum chorus, non regis memor, ad propulsandam ab civitate sua injuriam populares advocat :

Progredimini huc, adeste, adeste, incolæ ; evertitur civitas per vim mea. Progredimini huc mihi (V. 841, sqq).

Paulo post ipsum Œdipoda Creon injectis manibus vult abducere : quæ dicit chorus ?

Quanta huc audacia, hospes, venisti, si putas te hæc effecturum !
Creon. — Puto.
Chorus. — Hanc igitur non amplius censebo civitatem esse (V. 877, sqq).

Minus Œdipodis injuriam quam violatam civitatis majestatem curat.

Tunc demum advenit Theseus e cujus verbis pauca decerpam : graviter increpat Creontem.

Qui jura colentem ingressus civitatem, nihilque sine lege peragentem, tamen neglecta publica legum auctoritate sic violenter irruens abducis quæcumque vis, tibique per vim subjicis, et mihi urbem esse putasti vacuam viris, aut domino servientem alicui, et me hominem esse nihili (V. 913, sqq).

Omnino inter Thebas atque Athenas ea lis de Œdipode est : heroes Theseus et Creon veluti suæ uterque civitatis causam suscipiunt ac tuentur.

Uti de civibus civitatibusque mentio sæpissime fit apud Sophoclem, ita et de legibus. Jam diximus nusquam vocabulum ipsum νόμους usurpari in Iliade et Odyssea : voces δίκη, δίκαι, θέμις, θέμιστες videntur esse decreta Jovis aut sententiæ a judicantibus edictæ, non leges. At non modo Sophocles justa instituta et legitimæ potestatis imperia cognovit, sed et fabulam conscripsit Antigonen ubi id tantum agitur an legis imperio, repugnante natura, sit utique parendum. Hinc Creon jus civitatis, illinc Antigone jus naturæ potius habet, ac primo anceps incertumque duarum legum certamen a diis demum dirimitur, quorum Tiresias minister pietatis causam meliorem ostendit ut non jam sit dubitationi locus sed jure multatus legis humanæ defensor Creon videatur esse.

Non solum de civitate ac legibus mentio sæpe fit apud Sophoclem, sed in ejus fabulis ut in ceteris Græcorum tragœdiis, civitas ipsa adest cujus chorus partes ubique tuetur, qui ab Aristotele optime definitur « actorum unus » (1), nec minus recte ab Horatio :

(1) Poetic., c. XVIII.

Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat..... (1).

Nunquam tale munus audet suscipere multitudo illa Homerica, ignobilis demissaque. Nec mirum, quum epica poesis ab laudibus heroum originem traxerit, tragœdia autem a dithyrambo qui principio fuit populi quædam cantilena, post factus est opus non populi solum pietati sed et voluptati accommodatum, in quo personam aliquam a populo usque defendi consentaneum fuit.

Quum ingeniis et moribus accessere eruditio humanitasque, ratio quæ primus temporibus veluti angustioribus spatiis continebatur, longius progressa ad altiorem latioremque rerum conspectum evadit, neque jam singula quæque intueri contenta genera rerum, ut ita dicam, et communes leges cogitatione amplectitur. Veteres quidem illi sibi quædam officia colenda esse cognorant, sed ut originem officiorum justitiam nesciebant, ita et virtutis dignitatem ignorabant vimque tam late patentem. Ergo naturæ admonitione aucti modo motus animi coercebant, modo labores, sudores, discrimina subibant, minime intelligentes quo vinculo inter se tam varia officia connecterentur : caritatem in parentes, in amicos fidem, in hospites reverentiam, beneficiorum memoriam, permultas virtutes observare assueti summæ illius virtutis mente speciem concipere nequibant.

Agnoscere virtutem summum illud bonum non dabitur Græcis antequam, procedente tempore longisque erroribus peractis, philosophi, Socratis auspiciis, quæ sit sapientia reperiant, quæ luce clara, veluti fax, omnia vitæ officia illustrat. Heros vero ille Homericus deos habet altiores quasdam naturas vi ingenti et potestate præditas, cœlicolumque opem sibi parare, iram autem avertere aut placare summopere curat. Non Olympum sedem sibi fingit æternæ justitiæ, qui deos iisdem atque homines vitiis ac libidinibus contactos credat. Ergo pari admiratione Helenam et Andromachen sequetur, nec mirabitur si Agamemno formosam Chrysein non minus quan legitimam uxorem sibi placere coram Achivis declaret. At Periclis temporibus audimus Antigonen æternas leges naturæ legibus humanis præponentem, quæ Creonti

(1) Ad Pisones, v. 193 sq.

interroganti cur suas leges violare ausa sit, nobilibus respondet illis versibus :

Non eas mihi Jupiter edixerat, nec quæ diis inferis assidet justitia ; neque tantum valere credidi tua edicta, ut non scriptas sed firmas deum leges, mortalis quum sis, queas violare. Non enim nunc aut heri fixæ illæ sunt, sed vigent ab omni ævo, nec novit quisquam ex quo tempore prodierunt (V. 450, sqq.)

Æternam justitiam, ἄγραπτα νόμιμα, in mente intuetur, at Homerus qui Jovis decreta reveretur; nusquam de lege loquitur sempiterna illa et immutabili quæ non erit alia nunc, alia posthac, sed omnes gentes omni tempore continebit (1).

Quid vero dicam de Œdipode illo Coloneo qui postquam fato et voluntate deorum ad atrocissima facinora deductus est, primum ignominia coopertus obrutusque miseriis horrorem generis humani movebat, ubi vero extremo in vitæ limine suæ virtutis integræque innocentiæ sensum recepit, continuo scelerum gravitate levatur, placidusque ac fidens, uti postea Socrates, terrenum istud domicilium relinquit ?

In Philoctete tanquam certamen proponitur. Hinc stat Ulyssis vafritia, illinc simplex Neoptolemi adolescentia a mendaciis abhorrens. Nihil πολύμητις heros proficit: vincit veritas.

At si justa hæc, sapientibus sunt præstantiora (V. 1246).

Si de summo illo virtutis fastigio degressi ad ipsa vitæ officia veniamus, reperiamus non pauca et in iis immutata esse: quæremus primum an eodem modo Sophocleæ personæ atque Homerici heroes officia erga mortuorum reliquias colant.

De septem Sophoclis fabulis quæ supersunt illa de qua jam supra diximus Antigone demonstratur suprema mortuis officia utique persolvenda esse, neque ulla lege humana quemquam a justissima religione arceri debere. Et in extrema parte Ajacis unice de sepeliendo heroe agitur: Teucer fraternis Manibus solvere justos honores parat; Atridæ non sinunt fieri: sese sanctiori consilio socium Ulysses addit. Quin et in Electra videmus Clytæmnestram, scelerum licet omni labe contaminatam, interemptum

(1) V. Cicer. de R. P. III.

conjugem parentalibus placare. Num quidquam tale in Homerica illa vetustate invenitur? Hector ab Achille letali ictu confossus a victore frustra deposcit ne ille ipsius cadaver sinat a canibus devorari. Hæc in amico Patrocli crudelitas minus mira, verum ceteri Achivi quibus cum Hectore non tantæ quantæ Achilli irarum causæ, concurrunt corpus odiosum impune lacessentes. Hector autem ipse jacenti Patroclo insultaverat. Postremo Achilles postquam a misero cadavere atrocia supplicia, quanquam visa sibi leviora, exegit, molestius ac tantum jussu deorum coactus orantis Priami preces exaudiet. Quid! non vult patri, se adstante, conspectum filii dari, ne iratum senem inque liberiores querelas erumpentem occidat Jovis, imperia negligens.

At vero Æschyli Sophoclisque temporibus quum post Platæensem pugnam Æginetæ suadent Pausaniæ regi ut a Mardonii reliquiis pœnæ sumantur ob illatas mortuo Leonidæ a Xerxe contumelias, barbarum consilium non sine indignatione respuit Lacedæmonius.

Scilicet in Ajace et in Antigone poeta recentiorem pietatem et æqualium usus molliores sequitur, non priscam sævitiam effingit; morem gerit Atheniensibus qui veritatis nudam horrendamque imaginem ægerrime tulissent.

Non philosophia, sed religio Græcos docuerat mortuorum reliquias vereri, nec Sophocleæ tragœdiæ naturam bene cognoris nisi quibus vinculis cum religionibus ejusdem temporis juncta sit prius exploraveris.

Qui animos heroum in rebus dubiis et asperis exerceant, affectus in fabulis Sophoclem effingendos sibi proposuisse plane constat, verum id propositum quibusdam quasi finibus continetur, quum heroes qui in scenam inducuntur audientiumque mentes casibus suis et querelis movent, non humana modo infirmitate laborent, sed altioris et præstantioris numinis dominationi pareant. Aut ipsi alicujus sui facinoris noxii, aut gentilis culpæ hereditate contaminati, pœnas admissi a se aut a majoribus sceleris pendere coguntur. Ergo deorum voluntati obsequuntur quæ imprudentes pessumdat. Fit debitum piaculum, etsi nobis iniquius videtur, si quid peccavere parentes, multari filios aut nepotes. Græcis quidem heroas tot casibus et calamitatibus non forte fortunæ, sed numine deorum

vexatos fuisse, æquum et veri simile videbatur. Audientibus miserias et atrocia facta Labdacidarum et Pelopidarum placuit rationem proferri quæ superos absolveret, facinus nempe quod pœnis caruisset, deos ipsos persequi et castigare. Nunc autem humanæ justitiæ huic studio congruebat aptissime vulgata illis temporibus opinio Quanquam Homerus sortem Achillis jam fato compositam atque ordinatam esse, Diras in Œdipum nefario matris connubio pollutum acerbissime vindicavisse refert, nulla tamen apud eum certa doctrina apparet de necessaria graviorum scelerum aut flagitiorum expiatione: alioquin nec Phœnix de vita anteacta tam libere loqueretur, non Dolonis cædes fieret, aut poeta saltem detestaretur indigna facinora. Verum, ubi Thucydidis opus in manus evolvendum sumimus, statim occurrunt novæ disciplinæ indicia. Jam eo ventum est ut bellum ordiatur illud Peloponnesiacum, tot damnorum ac scelerum cunctis Græcis origo: utraque gens, æmula et imperii avida, inter se crimina ultro citroque per legatos mittunt. Non modo de rebus publicis agitur, sed etiam de religionibus. Spartani meminerunt gentem quamdam Atticam quod olim in seditione Cylonis coercenda sacrilegium in Eumenidas admisisset, in exilium ejectam esse; Periclem autem sciunt nefaria ex gente oriundum esse; rogant igitur ut Athenienses progeniem importunam impiæ stirpis non jam in patrio solo versari sinant, quo pacto sperant se odiosum suæ civitati egregium quem reformidant virum facturos esse. Athenienses contra Lacedæmonios jubent commissum in Pallada Chalciæcam sacrilegium expiare, quod Pausaniæ hujus deæ supplici non pepercissent. Utrinque alter populus jubetur τὸ ἄγος ἐλαύνειν. Has causas, licet nobis leviores videantur, num in rebus seriis prætulissent, nisi opinio confirmata eas suppeditaret, nisi aptæ ad movendos animos essent?

At enim, dicat aliquis, parum exemplum prodest, quum universum Græcum genus dolis ac perfidia uti in rebus publicis tractandis soleret. — Verum ex annalibus alia exempla suppetunt quæ omnia recensere haud necesse est. An memorem quatuor Bella Sacra, unum, quod Cirrhæum dicitur, nomine et industria Solonis insigne ; alterum a Lacedæmoniis gestum quod Thucydides in primo libro brevi narratione amplexus est ; tertium, Phocense bellum, quod vires Thebanorum exhausit, Phocidem

populatum est, Thermopylas Philippo regi dedit ; quartum quod, Æschine jubente , Amphictyones susceperunt adversus Locros Amphissæ cultores, Chæroneæ nomine et exitio Græciæ totius famosum ? — Adde tumultum quo perturbatæ Athenæ sunt postquam effigies Mercurii passim in urbe violatæ essent, et judicia, tormenta, supplicia quæ secuta sunt, quum totam se civitas sacrilegio contactam existimans auctores nefarii facinoris reperiri et gravibus affici pœnis cuperet. Nec omittendi duces illi miserabiles qui apud Arginusas quum egregiam victoriam retulissent, nullo modo triste exitium vitarunt, quod exanima corpora et saucios post prœlium, dum hostem fugientem persequebantur, non legissent. Ne diutius in re manifesta hæream ; — sed bene constat iis temporibus quæ videntur in Græciæ annalibus humanitatis omni genere præstitisse, opinionem quamdam communem viguisse, certa facinora quæ religionum aut naturæ leges violarent, per piacula solvenda esse, qua quidem necessitate expiationis argumenta tragœdiarum plerumque sustineri videmus.

Pauca Homerus de Œdipo, quæ tamen haud negligenda sunt. Ait nempe Œdipi matrem Epicasten (id enim in Odyssea miseræ mulieri nomen), quum, diis indicibus, funestum sui natique scelus cognovisset, suspendio se interemisse ; Œdipum vero post matris necem regnum obtinuisse, quamvis eum maternæ Erynnyes variis damnis afficerent : eum sibi oculos effodisse et se regno abdicavisse ignorat. Verum veterem poetam alium (1), auctorem Œdipodiæ audiamus, qui refert Œdipum, Jocaste defuncta, alteram duxisse uxorem, unde quatuor illos natos procreavit, quorum nobilia sunt nomina. — Male hæc omnia conveniebant ætatis recentioris pietati. Œdipi factum importunum ac nefarium, horrenda calamitatum serie luendum fuisse videbatur. Ergo Sophocles fere in primis Œdipi Tyranni versibus expiationem aliquam perficiendam esse significat. Adest Creon quem rex Delphos miserat ab Apolline quæ morbi urbem devastantis causa esset quæsiturum : nuntiat sacrilegium quo Thebæ contactæ pereant jam ex civitate pellendum esse :

Jussit aperte magnus Apollo nos regionis pestem (μίασμα) quæ alitur in hac terra, exigere (ἐλαύνειν). — V. 96 sq.

(1) Ap. Pausaniam, IX, 5, 5. Cf. Pisandrum ap. Schol. ad. Euripid. Phœniss. v. 1760, ubi ἡ τύφλωσις Œdipi ex alio fonte addita videtur.

Vocabulo utitur proprio ac dominanti ἐλαύνειν, neque quidquam inter μίασμα et Thucydideum ἄγος interest. Quæ respondentur a rege ?

Quali lustratione? — V. 99.

Civitas nempe sacrilegii expiatione jam purganda est. Continuo de cæde Laii agitur quæ nullum adhuc vindicem habuerat, Thebanorum animis Sphyngis præsenti crudelitate occupatis. Sic devenimus ad illam horrendam formulam quæ Medii ævi anathemata in memoriam revocat :

Quicumque unquam vestrum novit cujus hominis manu Laïus Labdaci perierit, etc..... V. 224 sq.

Mira poetæ in eximio loco ars nunquam satis laudabitur qui duplicem verbis Œdipi sensum ubique dederit ut carmen exsecrabile in regem ipsum suæ sortis nescium cadere audientes intelligant.

Similes exsecrationes legimus in Æschinis oratione quam in Ctesiphontem habuit, quæ licet ejus ætatis, qua Solon vigebat, esse videantur, tamen recentiorum Græcorum pietati apte conveniebant, ut ex oratoris ipsius verbis et indignatione bene efficitur. Æschines quidem nunquam tam vehementer referret quæ dira veteres græci imprecati essent in eum quicumque sacrum Apollini locum profano usu temeraret, nisi acri suo studio et iracundiæ parem in audientium animis consternationem existimasset commotum iri.

Hinc fabula jam facili cursu progredietur consummabiturque diis debita expiatio. Non sola mater communis flagitii pœnas expendet, verum sese atroci vulnere mulctabit Œdipus ; cœcus fiet, quod cyclici poetæ nusquam videntur meminisse, ac de temerato et importuno imperio concedet.

Poetæ tragici, dum res Labdacidarum sic mutabant emendabantque (1), in animum inducebant ut majorem expiationi magnitudinem et vim adderent. Ergo de tribus natis quos ex

(1) Quum jam priores poetæ de rebus antiquis inter se discreparent, ut e reliquiis patet, tragici inter varias fabulas eam quæ optime proposito responderet eligere, nullo denegante, potuerunt. Sic omnino Euripidis Supplices a Sophoclis Antigone differunt.

Jocaste habuerat Œdipus nulla fit mentio : fingitur Polynicem, Eteoclem, Antigonen, Ismenen a Jocaste genitos esse : negligitur altera uxor Œdipi. Eo nimirum pacto luce tanquam clariore illustratur malorum ordo et calamitatum quæ ex prima noxa originem ducunt.

Sed, quum novi et exquisitiores sensus de pœnarum cum peccatis congruentia sensim invaluissent, Sophocles non ex vetustate causas inimicitiæ quæ Œdipum ac filios intercessit, descripsit. Loca enim veteris Thebaidis habemus, prisco signata nimirum colore, quæ certe norat Sophocles, sequi noluit. Narrat vetus poeta Œdipum exsecratum in capita filiorum esse quod ei contra vetitum suum Laïi patris supellectilem quamdam obtulissent, atque in convivio cibum patre indignum ei porrexissent(1). Quæ quidem simplicitatem priscam redolent, Iliadi et Odyssæ assimilem, ac libet cum Sophoclis scholiaste (qui quidem iliam rudem antiquitatem respuit) arbitrari aliquid ex eis narratiunculis apud Æschylum conservatum esse. « Verum Sophocles aut audientes patrem in » filios imprecari ob causas specie leviores ægre tulissent, ac » summus poeta multa addidit quæ culpam graviorem facerent : » ostendit nempe cæcum ac senem patrem crudeliter a filiis ejec- » tum in exilium esse coactumque apud externos inopem pere- » grinari. Qua ratione quamvis magis aptum cohærensque effin- » geret poema nec talis fabula veniæ indigeret, tamen a priscæ » fabulæ forma menteque recessit quæ referebat Œdipum ex » fatalibus peccatis insanabilem labem concepisse, unde omnis » progenies conscleranda esset; amentia eum agitari suosque » natos exsecrari, non quod ab iis injuriam majorem acceperit, » verum quia jam cæcus minister factus est ultricis Erinnyos, ad » exitium gentis Laïi comparatus (2). »

Sophocles igitur plane opiniones æqualium sequitur : ut necessitatem expiationis quamdam legem tragici generis tuetur ac servat, ita de noxæ hereditate minus laborat, qui moleste ferat pœnas ab immeritis repeti a diis, credat aliquam justitiæ partem vel in fatalibus ærumnis latere.

(1) Unum veteris Thebaidis fragmentum legitur ap. Athenæ., XII, p. 465; alterum ap. Schol. ad Soph. Œdip. Colon. 1378. Cf. Æschyl. Sept. ad Theb. v. 787.

(2) Grote, *Histor. græc.* I, p. 305, vers. gallicæ.

In Antigone calamitates quibus domus Creontis affligitur, oriuntur ex ipsius regis nefaria voluntate, grandi piaculo dignissima, qui vetuerit corpus Polynicis sepeliri, post atroces ab Antigone ob neglectum imperium pœnas sumpserit.

In Electra videmus ab Apolline missum filium Agamemnonis a Clytæmnestra et Ægistho terribiles pœnas sumere. Nil quidem Homerus de cæde matris refert quam recentiores poetæ videntur finxisse ne quid perfectæ expiationi deesset. Dum matrem occidit Orestes, canit chorus versus rei aptissimos :

Perficiuntur imprecationes : vivunt ii quos humus tegit : reciprocum enim occisorum sanguinem subducunt dudum perempti (V. 1549 sq.)

Alio autem loco jam chorus, veteris fabulæ memor, Pelopidis causam miseriarum ac scelerum antiquam atavi perfidiam exstitisse edocuerat :

O laboriosa aurigatio quondam Pelopis, quam luctuosa exstitisti huic terræ (V. 504 sq) !

Philoctetes quoque ob admissum sacrilegium ægrotat :

Enim vero morbo hoc afflictaris divinitus, postquam ad Chryses custodem accessisti, qui subdiale altare custodit occulte, æduus anguis (V. 1326 sqq.)

Deorum igitur ope et voluntate scelerum fit in tragœdia expiatio : superest ut quæramus qua ratione dii res humanas apud Sophoclem regant ac moderentur. Apud Homerum quidem superi ipsi rebus gerendis intersunt, neque de summo Olympo tantum quæ in terris agantur despectant, verum et auctoritate et vi præsenti acceptos heroas juvant, ut vel congredi in prœliis cum viris invisis, aut etiam inter se soleant. Cœlum cum terris persæpe commisceri videmus. De his jam supra, ubi Homericæ ætatis adumbrari imaginem oportuit, dictum est. Tales prorsus vetustatis de divina natura sensus fuere. Ubique deorum industriam et manum homo videbat, neque numine alto providentiæ ab his terris remotæ ac divisæ rerum ordinem administrari adhuc intellexerant. Sensim meliorem doctrinam et magis divinæ dignitati accommodatam Græci didicere, ut, si quando divinus interventus fieret, præter consuetudinem accidisse videretur. Contra morem,

quod ex more fuerat, *miraculum* jam apparebat. Quæ opinio etiam tragœdiæ quædam lex facta est, ut poetæ tantummodo deos in scenam inducere liceret si res in implicatissimam difficultatem incurrisset quæ aliter expediri non posset. Unde præceptum illud Horatii :

> Nec deus intersit nisi dignus vindice nodus
> Inciderit (1).

Apud Sophoclem in Ajace et Philoctete divinas personas adesse in scena videmus. Pallas ut Ulyssem servaret cui semper favet, dementia Ajacis mentem turbavit, et amato heroi exponit cui vecordi insaniæ Telamonis filius indulserit. In Philoctete intervenit Hercules cujus nomine jam tota fabula plena est, quum Græcis victoria non sine Herculeis telis possit contingere ; intervenit autem quia nodus alia ope inextricabilis incidit. Verum in tragœdia Sophoclea dii per oracula et divinos sæpius suam voluntatem hominibus enuntiare solent : qua etiam parte suæ ætatis morem Sophocles sequitur. Græci enim, quum usque existimarent divino numine res humanas regi, tamen altiorem Providentiæ notionem conceperant, neque ipsos deos in terris versari putabant, verum docere mortales per oracula et omina quæcumque cognosci necesse esset. Hinc illa ingens oraculorum auctoritas ac imprimis oraculi Pythici. De Delphis ac Sibylla nihil hic dicendum : de divinis et ominibus forsan venia dabitur Xenophontis exemplum afferenti. Imperator egregius dum Decem Millia illa inclyta in Græciam reducebat, omni in discrimine deos consulebat, atque in libro pietate erga magistrum insigni primum nos docet Socratem divinatione palam ac sæpissime uti solitum. Quid Æschinem referam qui acerbe Demostheni succenset quod Græcis ut prælium, infestis ominibus, inirent, persuaserit? — Sed Sophoclis fabulas evolvamus.

In Ajace Calchas dicitur nuntiasse deos vetare Ajacem e tabernaculo ea die qua res agitur, exire. Parvi quidem momenti indicium esse videatur, tamen haud inutile est, quum inde Teucri adventus melius explicetur. Persona autem divina, Pallas,

(1) Ad Pison, v. 191. — « Ut tragici poetæ, quum explicare argumenti exitum non potestis, *confugitis ad deum.* » Cicer., de Nat. Deor., i, 20, 53.

jam interfuerat quæ omnia necessaria Ulyssem unaque audientes edocuerat.

In Trachiniis Hercules diro supplicio cruciatus oracula quæ verba filii in memoriam revocant, tandem intelligit proximamque mortem jam fortiter intuens quadam inter dolores animi pace compositus quiescit.

Philoctetis et Neoptolemi sociatis viribus Trojam captum iri, et ab Asclepidis Philoctetis vulnus sanatum iri, Helenus augur prædixisse refertur : hæc autem est totius fabulæ summa (V. 604, sq., 1326, sq).

Orestes in Electra Phœbi oraculo paret : Clytæmnestræ autem per somnium deorum consilium aperitur.

Œdipus a natis in exilium ejectus, ubi a Coloniata audiit se Dirarum sedem intrasse, inde se unquam egressurum negat : post deas ipsas precatur. Scilicet ei Apollo olim prædixit ubi in terram Diris sacram devenisset, eam fore sedem quietam malorumque ac vitæ finem qui bona benignis hospitibus afferret, verum mala iis qui senem ejecissent in exilium relinqueret: ceterum signum cœlitus aliquod non defore.

Ita ex oraculo Phœbi tragœdiæ pulcherrimæ pendet argumentum. In Attica consistet Œdipus quem ab violentia Creontis rex Theseus defendet, nec reducent preces Polynicis : Atheniensibus reliquiæ miserrimi herois omnia fausta portendent ac spondebunt. Ipse autem Œdipus, quum Polynices adest patris opem postulans, futurum filiorum exitium in tristi exsecratione vaticinatur.

In Œdipo Tyranno divinum ubique numen præsens adest, nulla usquam prodit divina persona. Ab Apolline consilium remediumque malorum civitatem vexantium Œdipus petierat : refert Creon responsum Dei. Arcessiverat Tiresiam qui primum tacet, denique regis jurgiis lacessitus veritatem horrendam promit, futurasque etiam Œdipi calamitates prædicit. Advenit vero Jocaste quæ ex oraculo Laium filio quem gigneret necandum fuisse memorat, infantem vero in monte expositum, Laium a latronibus occisum esse. Fatetur autem se oraculum non ex ipso Apolline, sed ex ministris ejus accepisse, quam correctionem nunquam Homero in mentem succurrisset adhibere. At Œdipus enarrat se etiam Apollinem interrogasse de ortu suo : omnia

funesta oraculo prædicta esse : sibi matrem ducendam, patrem occidendum esse. Verum nuntius docet Polybum ac Meropen quos suos parentes duxerat Œdipus mortuos esse, ceterum eum cum iis nulla consanguinitate conjunctum esse. Ergo cum Jocasta Œdipus consentit nullam fidem oraculis adhibendam esse, quæ nulla re confirmata fuerint. In reliqua fabula ostenditur, quæcumque dii per oracula ac Tiresiam significaverant, ea omnia verissima esse.

Et in Antigone adest Tiresias Creontem docens deos exsequias Polynicis fieri jubere, Antigonen multari vetare : ubi nil proficit, tyranni contumacia et audacibus verbis asperatus, imminentes Creonti pœnas prædicit, ac recedit dira exsecratione perturbatum sacrilegum relinquens.

Quis non animadvertit quanto Tiresias in his tragœdiis majorem personam quam Calchas apud Homerum, defendat? Nil humilius precibus Calchantis quum rogatus ab Achille ut causam pestis aperiat, οἰωνοπόλων οὐχ ἄριστος ipse poscit ab Achille ut se ab omni injuria tutum præstet. Atridem nempe reformidat, nec immerito, namque ubi is audiit sibi Chrysein ereptum iri, in quæ convicia erumpit!

Fateor Tiresiam probris ac maledictis a regibus vexari, verum dignitatem et majestatem usque retinet, neque se impune lacessi patitur. Se novit ac profitetur deorum numine defendi. Minas igitur tyrannorum infra se habet, gravissimus deorum minister atque interpres. Nec in Antigone donec arcessatur, exspectat, verum ultro intervenit. Religioso quodam horrore cæcus senex circumdatur, qui aulam regum ingreditur ut cœlicolum imperia pronuntiet, audientibusque nobis severa dicta in mentem venit Judæorum prophetarum regibus pravis divinam ultionem minitantium.

Hæc pia in mortuos officia, hæc necessitas expiationum, hæc Providentia ex alto cœlo per ministros omnia gubernans bene monent ingenti annorum spatio Sophoclis tragœdias a vetustate Homerica distare.

IV

De iis quæ in Sophoclea fabula civem Atheniensem declarant.

Hactenus ea in Sophocleis fabulis animadvertimus quæ apud quamlibet Græcam gentem sive antiquitatis vestigia, sive recentioris ætatis indicia inveniantur : nunc de iis quæramus quæ civis Atheniensis opus temporaque Periclis declarent.

Civitas Atheniensis non modo respublica, sive πολιτεια, est, verum πόλις δημοκρατουμένη, aut, ut verbis Latinis utamur, civitas in qua jura æqua civibus per leges confirmata sint penesque multitudinem omne imperium sit. Ab illa nobili Salaminiensi victoria plebs (οἱ πολλοί, τὸ πλῆθος) cum optimatibus plane exæquata est: jampridem Solonis Clisthenisque institutis generi et claris natalibus antiqua dignitas adempta erat: civibus certe distributis a Clisthene in decem tribus prisca clientium cum patronis vincula omnino videntur dissoluta esse. At vero post secundum Persicum bellum Aristides qni optimatum prius partes tueri solitus erat, quum videret plebis fortitudine servatam publicam libertatem esse, neque consciæ multitudini suarum virium victoriisque elatæ jam denegari æquam libertatem posse, tulit legem ut cuilibet civi ingenuo ad summos honores aditus pateret, exceptis modo certis magistratibus quibus pecuniæ publicæ adjuncta administratio esset: in iis, nec immerito, censum nummorum requiri placuit. Eupatridis relicta sunt quædam sacerdotia; divitibus, majorum vectigalium onus. Ergo viguit vera δημοκρατία ubi jubendi leges, exercendi judicia, res publicas administrandi jus, imo

necessarium officium quilibet civis, nulla generis aut pecuniæ ratione habita, usurparet.

Hic rerum status ab iis institutis et moribus quæ Homerus noverat ingenti intervallo dissidet. Ubi est ille rex pastor gentium, hominum pater, deorum de stirpe oriundus, omni reverentia et quasi religione circumdatus? Illi quoque proceres quos rex in consilium solebat convocare, eodem ac ceteri cives jure utuntur, suaque communis libertatis parte tantummodo fruuntur: imperium penes populum est qui de publicis rebus deliberat, jubet, vetat. Oratores exsistunt quicumque eloquentia, ingenio aut aliqua virtute apud multitudinem clari acceptique fiunt. Ignobilis plebes, nullis avis, sed libera, potens igitur pollensque, æquum regnum in omnes exercet.

Nova reipublicæ forma quum Athenas in majorem amplitudinem deduxisset, et facinora maxime egregia quæ usquam alias in historiis legimus, peperisset, ut civibus patriciæ dignitatis et regii imperii odium injecit, ita et eorum animos magna varietate opinionum imbuit, quæ omnes ad instituta spectarent, unde felicitas et laus publicæ manasse viderentur. Intrabat mentes quodcumque liberius consilium erat, quæcumque impotentiæ regiæ vim ingenua audacia defendebat: nec tantum apud Athenienses democraticæ disciplinæ usus et consuetudo valebant, sed amor quidam et studium recenti patriæ magnitudine inflammatum. Res postea mutatæ sunt quum clades multæ in Peloponnesiaco bello vires Athenarum fregissent: tum partem populi adeo pertæsum est publicarum calamitatum ut libertatem ipsam male mulctarent. At Sophocli contigit ut mortem obiret, antequam a Lacedæmoniis victa patria sub dominationem Triginta virorum concederet.

In Sophocleis fabulis democratia æqualis ac veluti circumfusa modo manifestis signis declaratur, modo obscurior penitusque implicata residet, interdum omnino deficere videtur quod quidem in chori sæpius cantilenis evenire solet. Ubi res tragica ad civitatis administrationem pertinet deque imperio agitur, poeta personas inducit sui ipsius æquales et recentiorem disciplinam edoctas. Jam et quædam feminæ nihil aliud in fabula quam Atticarum feminarum partes defendere videntur. Mores autem democratiæ orationi tragicæ dederunt subtilem illum tenorem nudumque, sed fortem ac liberum, non plane Homericæ simplicitati similem.

Postremo e Foro atque judiciis in totam tragœdiam defluxit oratora quædam vafritia et rhetorices argutioris usus.

Singularis, ut ita dicam, et unicus fructus democraticæ disciplinæ videtur Homo novus, vir nullis avis, sine nomine, qui suis opibus, virtute, industria, egregie de patria merendo clarum sibi locum inter cives parat, gratia apud multitudinem pollet, et postquam summis honoribus ornatus est magnam dignitatem ac laudem, justissimum laboris præmium, consequitur. — Mihi videtur nomine Œdipodis Hominem novum a Sophocle expressum esse qui, vetustatis fallaci ornatu detracto, ipsius auctoris æqualis agnoscatur. Rem investigemus diligentius pertractemusque. — Œdipus forte quadam Thebas venerat ibique egregie de civitate meruerat ænigmate Sphyngis crudelissimæ soluto : acumine quidem ingenii finem Thebanorum miseriis fecerat. Itaque ab incolis beneficii gratia rex creatus est conjugemque accepit Jocastem loci reginam : sic optime parto imperio fruitur, communi populi favore auctus remque publicam nullo obnitente administrat. Nunc prætereamus ea, quæ in fabula ad pestem quæ Thebanis ob Laii cædem inultam ingruit, pertinent : ad locum properemus ubi nuntiatur Œdipodi Corinthium illum Polybum mortem obiisse a quo se genitum putabat. Corinthi Œdipus vitam agitare non ausus erat, quia Phœbi oraculo edoctus fuerat sibi patrem occidendum matremque ducendam esse. Peregre se credebat habitantem neutrum facinus posse admittere. Ubi vero cognovit patrem naturæ satisfecisse, magna cura et sollicitudine statim liberatur, quum irritum oraculum cecidisse existimet. Sed subest altera formidinis causa, quum matrem sibi ducendam a Deo audiverit : parricidii metu carens tamen nefarii incestus horrore usque turbatur. Ei qui nuntium attulit, quæ causa mentem inquietam faciat, fatetur : is autem aperit nullum jam Œdipodi hujus timoris locum superesse, quum minime parentes habuerit Polybum Meropenque, a quibus non genitus, sed adoptatus esset pro filio. Ipse ille qui loquitur in Cithæronis saltibus infantem expositum a pastore quodam regis Laii acceperat et abstulerat Corinthum. Tum maxime Œdipus a Jocasta petierat ut idem Laii pastor arcesseretur quod solus e servis qui regem in ultimo itinere comitabantur, superesset. Regina autem quæ omnia audiit, horrendam veritatem cognoscit : ante oculos adest idem filius et

conjux, quem a diis monita exponi jusserat, ne patrem occideret matremque nefandis nuptiis uxorem assumeret. Ergo pavida, exanimis orat obsecratque virum ne vanæ investigationi indulgeat: Œdipus vero molestissime preces audit qui genus suum velit scrutari seque a regina contemptum putet ob ignotos parentes. Respondet acerbissimis verbis :

Bono animo es; tu enim, etsi a tertia inde usque matre tripliciter servus apparuero, nihilo deterior eris (V. 1062 sq.).

Instat infelix petitque obnixe ne consilium exsequatur : pertinacius ille in sententia haeret. Tunc vocem Jocasta horribilem emittit :

O infauste, utinam nunquam scias qui sis (V. 1068) !

At Œdipus eadem opinione deceptus non intelligit aliam tanti angoris causam atque regalem superbiam latere, et minime motus sinit mulierem excedere morituram. Solus ante chorum magnifice de se prædicabit qui fortunæ filius e parvis initiis ad tantam magnitudinem evectus sit.

Chorus. — Quid, Œdipe, sic uxor abiit, acri concita dolore ? Metuo ne ex hoc silentio eruptura sint mala.

Œdipus. — Quidquid volet, erumpat; at ego natales meos, etiamsi obscuri sint, cognoscere volam. Illam, quippe quæ ut mulier spiritus altos gerit, pudet forte ignobilis generis mei. Ego vero me Fortunæ filium esse ratus, quæ mihi prospera est, infamiæ non subibo notam. Hac nempe matre natus sum, et qui mecum orsi sunt menses, parvis me magnisque distinxerunt rebus. Tali autem quum sim origine, jam nunquam alius evadam, ac mihi natales meos investigare licet (V. 1073, sqq.).

Œdipus eo dignior est quem sedulo consideremus, quod in Sophoclis fabulis juxta cum Creonte aptiorem quam ceteræ personæ facultatem poetæ præbuit imperium regale fusius describendi, non solum rebus gerendis verum et productis disputationibus. Quanquam tyrannus nomine appellatur, regio munere Œdipus fungitur: at si rex dici vere potest, recentiorum tyrannorum moribus non plane caret. Donec a Tiresia vate illo (quem quidem multo majore in tragœdiis quam Calchantem in Iliade

reverentia coli supra diximus) arguitur Œdipus occidisse Laium, partes regis benigni agit gentisque modo utilitatem curat. Ubi se reum fieri videt et crimen incredibile sibi objici, non jam rex sed verus tyrannus evadit, qui in suam potestatem secreta consilia a seditiosis consociari credat, conjurationemque jam deprehensam habet: Creonta caput conjurationis destinat.

ŒDIPUS. — Tuane, an Creontis hæc sunt commenta?

TIRESIAS. — Creon tibi nulla mali causa; sed ipse tu tibi.

ŒDIPUS. — O divitiæ, et regnum, et ars multorum æmulorum arte præstantior, quantum vobis invidiæ subest, siquidem propter hoc imperium, quod mihi civitas ultro traditum non expetitum detulit in manus, Creon ille fidus, ille ab initio amicus, clam mihi strui insidias, et ejicere me studet, subornato hoc præstigiatore, fraudum consutore, versuto circulatore, qui ad lucrum solummodo cernit, ad artem vero cæcus est (v. 378 sqq)!

Paulo post inter Œdipoda et Creonta verum certamen conseritur, qui excessus in fabula esset fere inutilis, nisi liceret Sophocli æqualium mores, non solum vetustatem in scenam inducere (1). Describere longam disputationem nolo: pauca excerpam quæ demonstrent revera Pisistratum aut alium recentiorem tyrannum, potius quam heroa, Œdipodis nomine, accusare, respondere civem Atheniensem, non Jocastæ fratrem.

Aggreditur Œdipus his verbis quibus tanquam suæ tyrannidis furem Creonta increpat:

Heus tu, quid huc venisti? tantane es audacia atque impudentia, ut meas ad ædes veneris, qui palam me perimis, regnique mei manifestus es prædo (v. 532 sqq)?

Tum postquam ostendit se Creontis consilia minime reformidare, addit sententiam quæ nusquam alias verior quam in democratia est:

Annon insanus est iste tuus conatus, sine populi consensu amicorumque ope regnum aucupari, quod populi favore opibusque solet obtineri? (v. 540. sqq).

(1) Criticorum opiniones vide ap. Patin, Sophocle, p. 171, 172. *Tragiques grecs*, 3e édit.

Prætereo dialogum sententiose deductum : locum adeo nobilem ubi Creon contendit se nullo modo tyrannide Œdipoda orbare velle, quum omnibus imperii commodis fruatur, incommodorum expers. Jam in dialogo se tertium dixit in civitate esse ceterosque cives præter Œdipoda Jocastamque opibus præstare : ergo sic disputat, obscuram tyrannorum censuram agens.

Considera hoc primum, an quemquam putes regnare malle cum terroribus, quam sine metu dormire, si potentiam obtineat eamdem. Ego sane neque ipse cupio rex esse magis quam quæ regis sunt facere, nec alius, quisquis modestus esse novit. Nam nunc quidem omnia a te absque metu consequor; at si ipse rex essem, multa etiam invitus facerem. Qui mihi ergo regnum dulcius esse possit quam principatus securus et potentia (v. 584 sqq)?

Hæc omnia in fabula Attica audientibus valde placebant, qui de tyrannorum impotentia, de libertatis democratiæque dignitate et utilitate inter se disserere solebant. Agit vere Creon partes democratici magistratus qui mediocre, sed tutius imperium, quam immodicam possidentique periculosam dominationem præoptat. Fateamur Homericos heroas tantam rerum publicarum scientiam nusquam ostentare. Jam vero Athenienses veri simillimum arbitrabantur unicuique tyranno omnia in vita suspecta et sollicita esse, ut se et ab affinibus peti crederet imperium affectantibus.

In Antigone Creon imperium Thebis exercet quod ei post miseram Eteoclis Polynicisque mortem delatum fuit. Jam supra de argumento fabulæ dictum : virgo inermis, nullis amicis defensa, sed naturæ ipsius voce confirmata cum civitatis duce iniquum certamen inire audet. Nunc de Creontis persona dicamus. Is videtur dictatoris potius partes agere quam regis, quum publicæ utilitatis semper nomen ac speciem præferat, tanquam magistratus officia legitimi, non regnum tueatur. Quanquam omnibus suam voluntatem, nullo consilio audito, imponit, vult videri civitatis causam, non ambitionis ac sævitiæ defendere : sua decreta vult leges esse. E magistratu tyrannoque conflatum veluti monstrum est, ac legum majestate tyrannidem suam tanquam occultari putat. Quid ! nonne doctrinam quamdam administrandæ reipublicæ edisserit, quum se prohibuisse ne quis Polynicis corpus sepeliat, profitetur ? Unum versum laudare satis erit :

Talibus ego legibus hanc augebo urbem (V. 191).

Sed nuntiatur pulvere ab ignoto amico corpus Polynicis opertum esse : tum vero tyrannus omnem sui dissimulationem abjiciens sensus reconditos retegit : chorum deorum ope cadaver honoratum esse suspicantem gravissime reprehendit : ipse rebelles quosdam clam novas res moliri contendit quorum studia jampridem speculetur.

Num deos vides honore malos prosequi ? Non est. Sed hæc ægre ferentes cives, dudum obmurmurabant mihi, clam capita quassantes ; neque sub jugo cervicem, ut decet, habebant, ut imperio meo acquiescerent (V. 288, sqq).

Mixta illa magistratus gravitas cum tyranni impotentia in Creontis colloquio cum filio maxime apparet. Pisistrato egregie probata esset disputatio solertissima, in qua apte commiscentur legitimi imperii jura cum tristi dominatione tyranni, qui nihil aliud nisi omnium servile obsequium exoptat (V. 639, sqq).

Orationi patris Hæmon respondet omnibus numeris absoluta oratione : ait publicam existimationem Antigones facto favere, neminem erroris immunem esse, plurimos contumacia imprudente pessumdatos esse. Sequitur dialogus in quo vivide civilis libertas cum superbia tyrannica componitur.

Hæmon. — Utique hoc negat universus Thebanus populus.
Creon. — Scilicet quæ imperare debeam, civitas mihi præscribet ?
Hæmon. — Viden' ut nimis juvenilis iste tuus est sermo ?
Creon. — Nimirum alius imperio, non meo, terra hæc subjiciatur ?
Hæmon. — Quippe non est civitas quæ unius est viri.
Creon. — Nonne imperantis censetur esse civitas ?
Hæmon. — Pulchre scilicet tu in deserta terra solus regnaveris (V. 733, sqq).

Postquam excessere Hæmon et Antigone, advenit Tiresias deposcens ut Polynici suprema solvantur. Ægerrime vatis consilium Creon audit : undique se ab hostibus, a conjuratis peti arbitratur ; vatem tanquam pecunia corruptum falsaque prænuntiantem insimulat, tantaque effertur immoderatione iræ ut irreligiosa etiam de superis dicta jaciat.

Ita profecto se res habet ut neque Œdipus neque Creon veri reges sint, in aula nati educatique, neque aulicum quemquam circum eos invenias. Homines sunt inter liberos cives instituti,

qui summum imperium adepti novæ dignitati sese male accommodant. Ceterum longe ab Homericis regibus absunt quorum simplicitas nihil gravitati majestatique detrahit. Athenienses sunt. Quis alius nisi Atheniensis illa in Œdipode Coloneo percunctatur ?

Regnumne quispiam tenet, an penes multitudinem imperium est (V. 66) ?

Versus plane ineptus videatur, si in fabula simillimam vetustatis imaginem requiras : sed satis est Atheniensibus eum placuisse, qui et Euripidem veram democratiam Thesei temporibus jam constitutam esse fingentem æquis, credo, auribus audierunt. Non dissimiliter Cornelius noster reges tantum cogitans minime curat Horatium, si T. Livio fidem habemus, post Duumvirorum sententiam ad populum provocasse ; ergo ejus causam non rege, sed populo audiente et judicante actam esse : potuit tamen fabula ita effingi ut et populus romanus in extremo actu partes judicis tueretur, quod forsan extremo operi aliquam jucunditatem addidisset. At Ludovico regnante non potuit populus in scenam inter illustres aut regias personas induci : res indecora visa esset. Quid ! nonne ipse Livius nullo negotio credit provocationem jam ante reges exactos receptam esse jurisque formulas profert ? — Adeo in rebus antiquis quidquid immutandi aut confingendi omnis libertas dabatur.

In viris effingendis tragœdia sæpe magistratuum ac civium Atheniensiensium mores imitata est; ubi vero heroicæ mulieres in scenam inducendæ erant, æqualia exempla Athenis poetæ imitanda deerant. Nemo nescit quæ fuerit feminarum Athenis conditio. Satis esset laudare severa illa dicta Periclis quæ legimus in extrema parte funebris orationis quam apud Thucydidem habet :

Si quam autem et de virtute mulierum, quæ in viduitate nunc erunt mentionem me facere oportet, brevi adhortatione rem omnem complectar. Nam laus vobis erit magna, si a natura vestra non desciveritis, ac dederitis curam ut quam minimum rumoris, sive in bonam, sive in malam partem, de vobis inter mares disseminetur (Thucyd. II, 45).

Haud aliter post multos annos Lycurgus orator inter alia signa formidinis quæ fuit Athenis, nuntio allato exercitum apud

Chæroneam fugatum a Macedonibus esse, commemorat mulieres in apertum prodiisse.

At contra videmus in Iliade et in Odyssea feminas nondum in gynæceo latentes neque umbratilem vitam agentes. Quid opus est recensere tot illustria nomina, Helenam, Andromachen, Hecubam, Nausicaam ? Neque veteres fabulæ in quibus tragœdia versari solet, minorem feminis dignitatem concedunt. Ergo poeta Clytæmnestram, Electram, Jocastam, Antigonen ad vetustatis imaginem effingere non dubitavit : eis virilem libertatem virilesque sensus dedit, quum sciret alio nullo modo veteres fabulas feminarum facinoribus plenas in scenam induci posse. Jam vulgatis opinionibus morem gerebat, quod nemo non spectantium heroicam antiquitatem optime cognoverat quam religionibûs et urbium originibus conjunctam credebant. Neque, si Atticis finibus excedas, deerant exemplaria mores audaciores feminarum effingenti : omnibus Græcis nota erat Spartanarum par cum viris conditio et fortitudo. Verum, nisi fallor, Atheniensi poetæ placuit interdum, ubi re dabatur, Atticam feminam in scenam inducere. De illis puellis loquor quæ moribus molliores aque omni violentia abhorrentes feliciter sæviori Electræ et impavidæ Antigonæ opponuntur : Atticæ virginis partes Chrysothemis et Ismene mihi videntur tueri. Acceperat a fabulosa vetustate feroces feminas, virorum superbiæ atque etiam crudelitati consimiles : de suo addidit blandiores puellas quæ tristiorem antiquitatem sua dulcedine mitigarent. Secutusne est in hoc veritatis amorem, aut aliquam artem exquisitiorem, qua personas ita moribus diversas inter se opponendo, heroicæ feminæ fortitudinem clariore lumine illustraret ? Credo Sophoclem æqualibus moribus imbutum eos naturæ similiores quam priscam acerbitatem existimasse , ergo sive imprudentem, sive de industria, personas minoris in fabula momenti ad Atticarum puellarum modestiam accommodasse (1). Ac videtur in Electra effingenda poeta metuisse, ne indomita virginis contumacia minus placeret audientibus ; ideo, post pulcherrimas puellæ chorique cantilenas, illa sese non posse non indulgere immodicis querelis demonstrat apte composita ac bene longa oratione, cujus primos extremosque versus laudabo.

(1) Cf. Patin, Sophocle, p. 221-222, 259-260. *Tragiques grecs*, 3e édition.

Pudet me quidem, o mulieres, quod ob assiduos fletus videar vobis nimium impotenti esse animo : verum ignoscite ; eo enim me adigit necessitas.

. . . . . .

Talibus ergo in ærumnis neque modeste agere, amicæ, neque pietatem colere facile est ; at profecto qui in malis versatur semper necesse prorsus ut malis animum applicet (V. 254, sqq., 307, sqq).

Pudor ille qui fingitur minime mores et facta heroicæ Electræ decet : decet virginem Atticam, quam mos in publicum prodire palamque dolorem et fletus expromere vetat.

Atheniensium consuetudini videtur repugnasse feminam ingenuam e gynæcei secreto in scenam educi. Nemo ignorat quibus artibus auctores comœdiarum rebus gerendis virgines immiscuerint, quum audacia difficultatem expedire nollent. In Andria Terentii quæ ad exemplar Atticarum fabularum expressa est, nusquam ipsa Glycerium apparet, quæ tamen, licet absens, primas partes defendit, ut ejus nomine merito comœdia inscribatur. Nostris quidem temporibus, poeta ægre personam principem ab oculis spectantium amoveret : tunc modestum ac verecundum visum fuit. Sophocles autem qui a vetustate argumenta tragœdiarum sumebat, ideoque minime excusationis aut veniæ egebat, interdum heroicarum feminarum asperiorem libertatem Atheniensium puellarum modestia temperavit, ac nemo suavi poetæ succenseat quod tragœdiæ horrorem lenioribus affectibus variaverit.

Si choros excipias, Sophocleæ personæ genere dicendi utuntur subtili et venusto, quod, licet poeticis ornamentis illustratum solutæ orationi plerumque simile est. Ea simplicitas Attica qua Terentius et Cæsar apud Latinos usi sunt, morum imaginem, ut purum speculum, verissimam refert ; at sæpissime familiari sermoni proxima est, ut, quamvis regiæ personæ illud tumens dicendi genus quod ὄγκος Græce dicitur, affectare soleant, raro diversa confabulantium conditio in verbis appareat. Hic minus artem Sophoclis quam gentis ingenium et mores animadvertere debemus. Inter cives Athenienses eamdem libertatem dicendi viguisse constat, quæ in rebus publicis dabatur, ἰσηγορία, παρρησία dicta. Inde Sophocles eum tenorem simplicem ac sæpe familiarem orationis hausit. Videmus igitur apud eum a puella Antigone

et a filio Hæmone Creonta objurgari docerique, Clytæmnestram ab Electra convinci, Ulyssem a Neoptolemo reprehendi : ipsis Atridis male dicit impune Teucer, assentiente Ulysse. In democratia raro generis et conditionis ratio habetur, sed quæ viget in rebus publicis administrandis æqua libertas potestasque sensim in vitæ commercium traducitur, ut ex æquo cives inter se vivere assuescant. At Romæ, ubi diu imperium penes optimates remansit longe alios mores invenis ; hic nempe dignitatis ac majestatis veluti patria domiciliumque est. Superbia quædam in verbis populo Romano valde placebat : Tullii sæpe eloquentiam et priscorum oratorum reliquias sua majestate insignit : non gratiam apud Athenienses, sed offensionem habuisset.

Ut verborum simplicitate carmina Sophoclis a lyrico sonitu et splendore differunt, differunt etiam usu frequenti oratoriæ quasi supellectilis.

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo,
Musa loqui (ad Pison. v. 323),

ait Flaccus, nec male interpretes intellexerunt τὸ στρογγύλον illud significari quod ita explicat Ernestius : « τὸ στρογγύλον rhetores » Græci dixerunt quidquid verbis et sententiis ita enuntiatum esset, » ut in eorum forma concinnitas, elegantia et artificium appa» reret (1). » Apparet quidem artificium in personarum Sophocleæ tragœdiæ diverbiis, apparet elaborata concinnitas, ac sæpe delectationis quoddam aucupium manifesto deprehenditur. Nunc Atticos oratores, nunc causidicos aut vel sophistas audire tibi videris. Exempla deligere vix opus est, quum Sophoclea omnis fabula e dialogis ac disputationibus fere tota constet, in quibus nunquam deficiunt versus tanquam oratoria nota signati. Excerptis tamen paucis ex Ajace locis, ostendemus ipsum Sophoclem ornandæ sententiis orationi indulsisse neque eum leporem, aut, si mavis, id vitium proprium esse Euripidis, qui tamen in eo omnem modum excessit; tum exempla afferemus in quibus eloquentia forensis liberius excurrere videtur et exsultare.

Choro et Tecmessa audientibus Ajax recenset malorum seriem: nunc ignominia coopertus ad patrem non audet redire, nec vult

(1) Ernesti *Lexicon rhetoricum* laudatum a Duebnerio ad locum Horati.

inclytam mortem oppugnandis mœnibus Trojæ obire: pater eum dedecoratum respuat, neque ipsi libet fortitudine prodesse Atridis. Ergo ratio quærenda est qua Telamoni ostendat se dignum genitore usque permansisse:

Turpe est enim viro longam expetere vitam, si cui malorum nulla contingit remissio, quid enim ad diem dies juvare potest additus, mortemque procrastinans? Haud ego emerem vilissimo pretio hominem qui inani spe fovetur. Sed aut honeste vivere, aut honeste mori generosum decet. Omnem audisti orationem (V. 473 sqq).

Respondet Tecmessa, quæ Andromaches illius vestigia sequens ferocem viri mentem movere conatur: pulcherrimum locum quis non millies legit? Sed postquam has voces miserabiles profudit :

Quænam mihi, quæso, pro te patria fiat? quæ opes? in te mea omnis est salus. Ergo et mei reminiscere (V. 518 sqq).

Quid opus fuit addere frigidam conclusionem sophiste dignissimam?

Utique virum decet memorem esse, sicunde grati quid perceperit: gratia enim gratiam semper parit. Cuicumque vero effluit beneficii memoria, is haud amplius generosi viri habeatur loco. (V. 520 sqq).

Heros vero nulla obtestatione commotus natum adduci jubet: huic omnia fausta precatur et Tecmessæ choroque dat ultima mandata. Tum claudi januam acerbe jubet, neque tamen orationem sententiose finire negligit:

Jam vero, mulier, puerum hunc ocius accipe, domusque fores obsera, neque ad hæc tentoria incende luctus. Valde sane promptum est flere femina. Ocius januam operi: non est sapientis medici carmina canere ferrum poscenti malo (V. 578 sqq.).

Extremos versus deleri quem pœniteat? Placuere audientibus ut nugæ illæ amatoriæ quas in scena nostra crebro Curiatius, Cinna aliique usurpant, Cornelii æqualibus placebant.

Ajace mortuo, desinit fabula in longam inter Teucrum Atridas-

que disputationem quæ postquam variis artibus per amplius trecentos versus extracta est, tandem compescitur adventu et prudentia Ulyssis: in tam producta controversia minorem poeseos partem, multo majorem rhetorices esse nihil mirum, quo etiam vitio nostri Horatii quintus actus, ipso judice Cornelio, laborat.

Locus autem Sophocleus sane dignus est quem propius inspiciamus.

Hæc controversia a versu 1047 ad versum 1373 pertinet. Adest primum Menelaus prohibens ne Teucer inclyto fratri officia suprema solvat. Postquam edisseruit quæ Ajax peccaverit, pronuntiat corpus jam feris prædam objectum iri. Tum ubi contumaciam qua vivus Ajax uti soleret, reprehendit, locum aggreditur ad rei publicæ administrationem pertinentem, docetque modestiam et obedientiam domi militiæque colendam esse. Haud ineptum argumentum est, quoniam Teucer ipse revera petitur, qui ab incepto deterrendus est. Verum nihil in concinna oratione heroici, nihil Homerici: res verbaque Atheniense forum non ambigua similitudine referunt.

Sententia orditur Teucer minime antiqua, nil mirum esse homines ignobiles transversos agi, quum ipsi optimates a vero justoque desciscant. Tum negat ullum jus aut imperium Menelao esse in Ajacem, quem addit Achæos comitatum esse ut jusjurandum servaret (de quo nihil Homerus), non Helenæ Menelaive gratia.

Jam verum conseritur certamen versuique respondet versus. Nusquam deest Atticus color. Arcum sagittasque Teucro Menelaus exprobrat. Ille refert se non vilem sordidamque artem exercere. Tum Menelaus : « Quid, si clypeum gestares? » — « Expeditus tuam gravem armaturam nihil metuerem. » Talia jurgia inter milites Atticos, ψιλοὺς et ὁπλίτας, non rara erant.

Nec ridiculam dicacitatem spernit poeta.

Menelaus. — Justumne ergo censes, bene cum hoc agi, qui me occidit ?

Teucer. — Qui occidit! Mirum narras, si quidem vivis mortuus. (V. 1126.)

Duplici peroratione controversia concluditur. Mutuatur Menelaus a nautica Atheniensium consuetudine apologum. Apologo

etiam Teucer non illepide respondet, ac tanquam lætus quod subita subtilisque oratio se non defecerit, addit jocum :

Num ænigmate usus sum (V. 1158.) ?

Recedit vero Menelaus, ac Teucer ipse abit funeris ornandi causa. Intercinit chorus pauca de sua sorte, sed instituta disputatio nondum finem suum habuit. Redit in scenam Teucer quem sequitur Agamemno.

In oratione artificiose composita rex tumentem (ὀγκώδη) superbiam ostendit quæ Achæorum ducem decere Sophocli videbatur. Verum si verba arrogantiæ plena propius inspexeris, videbis Atridem his argumentis uti quæ Homerici heroes ignorant, usurpare solent cives Attici. Quid enim ? Primum exprobrat Teucro quod sit captivæ filius, non matre nobili oriundus, quod sit servus. Tum rem agressus ipsam pronuntiat plurium judicum sententiis parere omnes debere, nullam aliter legem stare posse. Heliastis qui audiebant hæc satis placebant. Sed iisdem, quibus orsus erat, concludit orationem :

Non modestus eris ? Non, quum noris qualibus sis natalibus, alium quempiam huc adduces ingenuum virum, qui pro te verba faciat ? te enim dicente, haud ego dicta percipere queam, ut qui barbaram linguam non intelligam (V 1259).

Duplex quidem est convicium. Exprobrat Teucro quod non sit ingenuus, quod sit barbara matre natus. Hæc vere attica sunt. Neminem fugit contumeliose ab inimicis originem Demosthenis lacessitam fuisse, omnique legum severitate ab Atheniensibus ejectos e civitate omnes quicumque non purum externa commixtione sanguinem a parentibus accepissent. At vero, quod quidem a Thucydide præclare animadversum, discrimen apud Homerum nullum inter Græcos ac barbaros apparet. Jam apud veterem poetam nullus filiam regis Trojani probroso nomine appellasset. In Iliade bello, non moribus dividuntur Achæi et Trojani, necdum inter Asiam Europamque factum est illud quod postea discidium.

Teucer autem, postquam fratris merita commemoravit ac succensuit Atridis ejus beneficia oblitis, suam ipsius originem qui δοῦλος et βάρβαρος appellatus sit cum Atridarum gente comparat, quibus atavus fuit barbarus, pater nefarius, mater impudica.

Tandem advenit Ulysses qui vult Agamemnona a sacrilego incepto deterrere. Nova igitur oritur controversia, sed amico prudenti obniti Atrides non sustinet : victus abit nec jam sepeliri Ajacem vetat.

In longa disceptatione elucet locuples poetæ ingenium qui eadem mille modis explicaverit : sed quis non fateatur poetam vicem oratoris et causidici plerumque defendere? Obmutuit vox canora tragœdiæ : abest Homericorum heroum vis et recta audacia. Audimus patronos suam quemque causam optimis argumentis tuentes : audimus urbanum, forensibus negotiis et judiciis innatum, ac sponte occurrunt φιλόδικοι illi Athenienses.

Pauca alia ejusdem generis exempla laudabimus.

Quum primum prodit in scenam Chrysothemis matris jussa exsequens quam somnium quoddam exterruit, inter Electram et sororem oritur disputatio quæ arte exquisita per centum quinquaginta versus deducitur : nusquam vera et callida eloquentia deficit, lenior ac mitior in Chrysothemide, acrior, fortior, ardentior in Electra : nusquam deficit prudentia et scientia singula apte, concinne exprimendi. Nusquam quiescit certamen et contentio, neque quidquam præter vera argumenta virgines proferunt.

Si paulo longius procedis, vides Clytæmnestram ab Electra rhetorice confutari convincique. Lacessita nempe a matre audax puellat fuerat, veniamque causam agendi impetraverat a Clytæmnestra incauta neque ingenii contumacis satis gnara. Dato jure utitur libere Electra, neque quidquam contra eloquentiæ præcepta peccat.

Sæpe etiam a foro judiciisque abhorrens Sophoclea oratio sapientes præcepta scientiæ artisve tradentes imitari videtur : hinc disputat Creon, illinc Antigone et Hæmon ; hinc Neoptolemus, illinc Ulysses.

Ne plura aggeram, Sophocleæ personæ genere dicendi utuntur sæpissime in quo oratorum ac dialecticorum artes non ægre deprehenduntur. Alio quidem genere uti potuissent, ac tragica poesis eo naturam verius exprimit quo ab oratorum vafritia longius dissidet. Causidici dialecticique solertia et acumen raro in tragœdia suum locum habent. Nil dubitat Sophocles in diverbiis disputationem producere nunc cavillationibus, nunc locis e philosophia rerumve publicarum prudentia depromptis. Non ea vera

simplicitas est. Fateor lyricam poesim omninoque ullam poesim hinc abesse : si numeros demis, fateor solutam orationem sæpe superesse quæ parum animos movet. Verumenimvero alia Homeri simplicitas est quæ, ubique Musarum flatu contacta, vincit etiam versionum frigus quæ scriptæ a recentioribus sunt. Ipse etiam Sophocles, ubi rhetorices removet supellectilem, veram simplicitatem naturamque, æternum poeseos exemplar, assequitur, sive Electram depingit fratrem amplexam, sive Tecmessæ querelas obsecrantis Ajacem explicat, sive Ajacis verba ultimum Eurysacem alloquentis refert, sive ostendit Œdipum filias in pectore prementem. In iis locis quæ omnia laudare nihil prosit, non jam civis Atheniensis est Sophocles, poeta est eximius qui naturam ipsam describit quæ eadem sibique par ubique exsistit : Homerum quidem non curat imitari, sed, quod præclarius, veritate adæquat. Porro nostri poetæ tragici qui suum judicium, nullam reconditam scientiam, in libris antiquis legendis adhibebant, ea in Græcis poetis admirati imitatique sunt quæ ad naturam humanam pertinerent; quidquid erat Attica consuetudine notatum, id omne præterierunt. Racinius quidem quum Sanctos Libros, Euripidem Tacitumque evolveret, inde mutuatus est ea quæ nullo populari colore distincta in scenam nostram apte deduci possent. Ipse autem, legi communi parens, aulæ regiæ moribus res antiquas commiscuit.

Homerus vero omnes poetas præstat, quia ætatem descripsit qua nihil adhuc coercebat aut depravabat ingenuam humanæ naturæ indolem. Solus nulla omisit eorum studiorum quæ tanquam primordia quædam in mente humana subesse recte dicantur. Ut annorum procedit ordo, novasque leges novosque mores genus humanum induit, hæc primordia non pari licentia possunt omnia adolescere. Depravatur quodammodo humana forma disciplinis ediscendis, quæ nunc illud, nunc aliud studium naturale continent aut opprimunt. Verum ille qui ingenii opibus mancam mutilamque humanitatem ad primam pulchritudinem reparat instauratque, poeta est, tanto nomine vere dignus, qui naturæ vetustatis annorumque situ dedecoratæ suam venustatem reddiderit majestatemque.

Etsi apud Sophoclem sæpe deprehenditur is oratorius color, multo tamen poetæ tragici dicendi genus ab illorum oratorum

eloquentia differt quos in manibus solemus versare, Demosthenem dico ejusque æquales. Quod quidem paucis explicandum est, quippe inde etiam Sophoclem ætatis suæ tanquam exemplar verissimum exstitisse colligitur.

Ea quæ in orationibus Lysiæ subtilitas perpetuo tenore legentis animum delectat, gradibus quibusdam ab Herodoti dulcedine ad perfectam sui formam processisse si Sophoclis, Antiphontis ac Thucydidis scripta comparabis, haud protinus consummata esse videbitur. Verum ubi apud grammaticos veterum Atticorum αὐστηρὸς χαρακτήρ, αὐστηρὰ ἁρμονία (1) tibi occurrit, ne verbo decipiaris. Significatur enim tantum illos auctores ornamentis et verborum compositione carere quæ post Isocratem in litteris frequentata sunt, licet pulchritudine et arte propria, elegantia etiam delicatiore utantur. Iis nempe temporibus ut Atticus sermo exercitationem desiderabat flumenque dicendi, ita vim integram et juvenile acumen promebat quæ minus in solertiore recentiorum facundia apparent, sive copia et ambitu verborum quasi abscondantur, sive, quod veri similius, novitas ipsa rerum ac sententiarum crebro usu pallescat sensim ac sordescat, ut de singulis minus laboret scribentis ingenium legentisque cura, summam potius cogitationum amplecti velimus (2). Haud aliter Gallico sermoni, ante quam Balzacus solutæ orationi numeros adjunxisset, incondita venustaque erat subtilitas, minus quidem placens utpote quæ e barbaris fontibus Medii Ævi, non ex Herodoti lactea ubertate manaret. Quanquam fatendum est Athenis ante Lysiam et Isocratem nimiam sophistarum imitationem viguisse, quorum doctrina argutæ genti jucunda visa est, donec sanæ et sinceræ arti de loco concessit. Sophoclem autem communi æqualium studio sæpius indulsisse et supra laudata loca et multa alia ostendunt.

De Sophoclis igitur oratorio genere dicendi scribentibus eloquentia vetus Attica occurrebat, cujus exemplaria Antiphontis ac Thucydidis opera supersunt. Verum de veterum Atticorum lepo-

(1) Dionys. Halicam. *De compos. verbor.*, p. 147.

(2) De Sophoclis genere dicendi, v. Otfr. Mueller op. laud. II, p. 482-485; de Antiphontis gen. dic. ibid. p. 169-178; de Thucydidis gen. dic. ibid. p. 208-215; de Lysiæ gen. dic. ibid. p. 226; de Isocratis gen. dic. ibid. p. 241-249. — Cf. J. Girard, *de l'Atticisme de Lysias*.

ribus jam ab aliis fusius disputatum est (1), nec Sophoclis ea etiam cum æqualibus necessitudo, si debuit notari, ulla tamen nostra confirmatione eget.

---

(1) V. Otfr. Muell. l. l.; J. Girard, *Essai sur Thucydide*. Adde Mure, *History of Grec. literat.* V, l. IV, c. 10, passim.

CONCLUSIO

Quum moleste ferrem Cornelio et Racinio sæpe objici aliquam morum antiquorum et externorum negligentiam, Sophoclis opera examinare placuit, ut viderem an similis negligentia et in poeta vetere Græco, Græcas res tractante, reperiretur. Putabam equidem Sophocleam tragœdiam Atticum quemdam esse fructum, nativo succo nutritum patriique cœli velut ad mores formatum, ut possem describere quid in personis antiquis in scenam inducendis poeta æqualia instituta æqualesque usus imitando immutasset, quid eis adjecisset. Ergo pauca de ipsa quæstione præfatus, Homericorum temporum imaginem circumscripte adumbravi, cui non omisi subjicere ea quæ tanquam Homerici ævi vestigia in moribus Græcorum usque permansissent, et alia quæcumque ex ipsa rerum necessitate in fabulis potius quam de industria Sophocles servavisse mihi videretur. Tum libuit attendere utrum poesis, dum ab Homericis carminibus ad nova genera deflecteret, semper meram vetustatis ac sinceram imitationem coluerit, an potius novis se moribus accommodaverit, ut noster quoque poeta ad libertatem aliquam de rebus antiquis usurpandam aliorum exemplis induceretur. Jam quæstionem aggressus ipsam primo mores et instituta recentiora Græciæ universæ, deinde mores et instituta propria democratiæ Atheniensis invicem cum vetustate illa et cum Sophoclis operibus contuli, qua ratione poetam deprehendi ætatis suæ imitationi sæpissime indulgentem, ut in ejus tragœdiis res ac nomina personarum antiqua, mores autem, sensus affectusque et sermonem ipsum recentioris ævi nota signatos invenirem: unde satis patebat Sophoclem præclari vim ingenii non in eo impendisse ut quasi exemplum vetustatis perscri-

beret, sed ut in fabulis quas de priscis illis acceperat, humanam naturam depingeret, qualem ipse cognorat. Nec minus probabiliter alia etiam colligi inde mihi videntur posse : primo, Gallicarum tragœdiarum auctores non solos vitio, si vitium est, præsentia tempora imitandi indulsisse, et bene Sophoclis exemplo ab obtrectatorum conviciis defendi ; secundo, minime velut absolutum exemplum tragœdiam Græcam unice proponendam ad imitandum esse. Ea enim quæ melius Attica dicatur, species est quædam excellens et omni laude digna tragœdiæ, non sola species excellentis tragœdiæ est. Nulla res magis quam poesis temporum conditione mutatur : volens nolens æqualium mores et usus poeta imitabitur. Itaque, ut eum puto multum profecisse qui Sophoclis urbanitate ac venustate delectetur, ita neminem reor non errare qui credat artis Atticæ usus in scenam nostram apte deduci posse. Exempla quidem antiqua et externa sæpe versare debemus ut ex auctorum excellentium commercio acuatur judicium, ingenium ornetur, non ut imitatores humiles et cæci vestigia magni cujusque poetæ legamus. Res nempe hodierna est poesis, quæ e præsenti ætate totam vim suam ducat : inde oritur, vivit, spirat : si quando amictu antiquo in dissimulationem sui composita prodit, licet vetustatem et ingressu et gestu effingere velit, mox iis ipsis, quæ loquitur, indicata, suam imprudens juventutem aperit.

Vidi ac perlegi

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona a. d. VI non. Mai. ann. MDCCCLXXII.

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
PATIN.

Typis Mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
A. MOURIER.

Nimes. — Typ. Clavel-Ballivet et Cᵉ.

1129

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Gs 32.165.20
Sophoclem aequalium suorum mores in
Widener Library 004352768
3 2044 085 168 243